I. LIPSI

DE RECTA PRONVNCIATIONE LATINÆ LINGVÆ

DIALOGVS.

Editio vltima.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Ioannem Moretum.

M. D. XCIX.

Cum Priuilegijs Cæsareo & Regio.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

AD ILLVSTREM V.
PHILIPPVM SIDNEIVM
EX ILLVSTRISSIMA WARVICENSIVM STIRPE.

VAERIS à me ſeriò, Vir illuſtris PHILIPPE SIDNEIE, de Pronuncia-tu Latinæ linguæ quid ſentiam? germanúmne & verum hunc, quo nunc vtimur: an alium fuiſſe antiquitus, qui, vt multa alia, exoleuerit tenebris ignorantiæ obrutus & longi æui. Tenuis ſubtilisque inquiſitio: neç ſcio an nõ gloriæ ſolùm expers, ſed & fructus. Illam enim quî ſperes ex agello tam ſterili? quem ipſum quòd colimus & inuertimus paullò ſtudioſiùs, carpent magis quàm ignoſcent. Ambitionem appellabunt, & friuolam in paruis iactantiam. Quî etiam fructum? cùm & pauci hæc ad animum ſiue aures admittent: & ſiqui; tamen hactenus, vt ſcire ea velint, non vti. Quis enim erit ille

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

tantis ceruicibus, qui primus hæc nouata inferet ſiue efferet? qui os aperiret contra vulgi totius ſenſum, cõtra ætatum aliquot conſenſum? & ſi faciet, quid merebitur niſi riſum? Itaque ego ipſe qui hæc adſero, noſcere ea ſatis habeam, non promere: nec vnquam illuc impellar, vt brachia dirigam contra imperitiæ hunc torrentem. Quis ergo finis? tibi ô SIDNEIE parêre. quia durus, ſiue improbus, ſi illi quidquam negem, *cui dij ipſi* (vſurpabo Laberianum illud de Cæſare) *nihil negauerũt*. Corporis tui bona intueor? ad robur pariter factus es, & ad decôrem. Animi? cultiſſimus ille: & vberrimę in te ingenij iudiciiq́ue dotes. Externa? ſtirpe nobiliſſimus es, opibus ſplendidiſſimus. nec quidquam facilè tibi deeſt, quod Naturę aut Fortunæ adeſt. Macte his dotibus! eò magis, quòd non ad ambitionem, vt pleraque iſta nobilitas, aut ad pompam abuteris: ſed confers eas, quà potes, ad tuam & publicam ſalutem. Idq́ue domi & foris, togâ & ſago: cùm vegeta illa animi vis ad omnia ſufficiat: & Marti ita lites, vt ſacrum numquam deſeras Sophiæ & Muſarum. Quod Archilogus ille de ſe gloriatus olim: tu magis iure.

* Εἰμὶ δ' ἐγὼ θεράπων μὲν ἐνυαλίοιο ἄνακτος,
Καὶ μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπίσταμαι.

* Sum quidẽ ego famulus cultorq́; Dei armipotẽtis: Sed tamẽ & Muſarum ſinclita dona habeo.

Sed libo hoc laudum tuarum limen, non penetro.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

netro. quia vt ſacra cum ſilẽtio potius, quàm plauſu ſpectamus: ſic tuas ego virtutes. quas veneror, non exſequor; adoro pęnè dixerim, non adorno. Tu tantùm, ô Britanniæ tuæ clarum ſidus, (cui certatim lucem affundunt Virtus, Muſa, Gratia, Fortuna) tenuem obſcurumq́; hunc laborem à me libens accipe, & paullisper inſtar doni pendêre patere in Famæ templo. Non enim vt verum legitimumq́ue donum: ſed vt illius obſidem, & velut ſponſoriam tabellam. Alia ſunt te & me digna. quæ dabo, dedicabo, ſi viuam: atque ita viuam.

Salue à LIPSIO. qui ſcripſi hæc Lugduni in Batauis XVI. Kal. April. ∞. IↃ. LXXXVI.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

LECTORI MEO
SALVTEM DICO.

ACCIPE, *Lector, Grammaticum hoc à me opus, tenue, subtile, imò vile. Laudem quæsierim? ludum. Medici iamdiu abesse me iubent ab omni curâ: absum. seria non ago: & tamen ne nihil agam (id est, ne mortuus ambulem inter viuos:) hoc ago. Tesseris aut talis tempus fallunt alij: mihi nugæ & nuces hæ placitæ puerorum. Scilicet ad elementa mea redij, dum corpus quoq; paullatim ad sua. Carpis? magni à me, & qui ante me, auctores. Senatores, at q; ipsi Principes fecêre hæc olim: & nostro ævo Scaliger ille Cæsar, qui non vilior mihi Augustâ omni stirpe. Gallinæ ova quædã subuentaneæ edũt, paritur & mox vera: nobis interdum fas, ingenij istos inanes fœtus. Nec minuimur per hæc minuta, si reipsâ magni. nõ magis quàm columna, si in vallem demittitur: quæ apparebit minùs alta, non erit. Myrmecidis quadrigæ aut formicæ, Praxitelis operibus granditate cesserint; nunquid arte? Nec opus tamẽ magno opere excuso, magis eius modũ. Produxi enim fortasse, quàm conueniebat, longiùs. agnosco. sed rerũ id ingenio, non meo. Ego paucorum Capitũ rem censebam: factus liber est, dum vara vibiam sequitur, & cathêna me trahit cohærentium inter se rerum. Syrtes in terrâ Africâ esse dicũtur, in quibus homines obruantur æstu reciprocantium arenarum. illæ hîc sunt: & Scholicum hunc pulverem qui semel ingressus, cùm poterit exibit, non cùm volet. Cur tamen acriter excusem? Grammaticus per contemptum sæpe audiui. En, fauere conuicio huic semel volui, & Grammaticum me approbare bonâ fide. Tu, Lector, his fruere: eâ lege, vt gradum tibi ad maiora & altiora struant. Vale.*

DIALO-

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

DIALOGI DE RECTA PRONVNCIATIONE LATINÆ LINGVÆ

CAPVT I.

In Italiam meus aduentus. Mureti ibi reperti laus. ad ſermonem hunc præparatio: & quiddam de iuuenilibus meis ſcriptis.

ADOLESCENS in Italiam cùm veniſſem: acre deſiderium mihi res antiquas noſcendi, & viros, qui eas docti. Inflammabar cupidine doctrinæ veteris: & magni apud me omnes illi, qui in eâ eſſent magni. Inter quos M. Antonium Muretum iure cenſebam. virum, in quo non eruditio ſolùm varia, ſed comitas etiam & lepos multus. Atque vt illâ nos exteros in admirationem ſui rapiebat; ita iſtâ in amorem. cùm erga omnes tam prompta ei humanitas, vt rarò domus aut lingua eius cuiquam eſſent clauſa. Itaque & mihi crebra ad illum itio: nec facilè reditio, niſi cum fructu aliquo & velut doctrinæ ſpico, quod colligebam ex fæcundo illo agro. Quod accidiſſe mihi recolo ſtatim ſub initia: cùm pereger adhuc & nouus ad illum viſerem, tunc æſtiuantem in Quirinali. Nam patronus eius Hippolytus Eſtenſis, vir nobilis iuxtà ac ſplendidus, domum ibi alteram habebat in deſpectu & crepidine ipsâ collis: ſalubrem aëre, amœnam hortis, laxam ædificiis, adornatam picturis, ſtatuis, & cetero omni elegantiarum cultu. eoque ſe conferre cum pleriâque familiâ ſolitus ſub æſtiuos dies. Ibi igitur cùm Muretus, perrexi & conſcendi ad eum ſatis manè. æſtum enim vitabam, qui, vt menſe Iulio, in iis locis grandis. Atque cubiculum eius cùm pulſaſſem, dictus mihi à puero in hortis eſſe.

M. Antonius Muretus.

Domus Cardinalis Eſtenſis.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

esse. quos iniens, video eum molliter sanè ac lentè inambulantem cum libello. Salutaui. atque illo nec audiente, vt videbatur, nec respondente (lectionis enim totus erat:) ego iterùm, Vacásne Murete! an intempestiuus aduenio? dic, sodes, & abeo. Iamque auertebam. sed ille quasi excitatus, blandiore ad me voce & accursu, Tun' Lipsi es? inquit. ignosce. dum vnum te video, te non video. Quídni enim videre te dicam & tenere in hoc libello, in quo imago ingenij tui tam expressa? Nostin' hunc? (& simul Varias meas propius admouit, quas Antuerpiâ recenter erat nactus.) auidè & calidè legebam: nec, ita me deus amet, explebar. Et ô pulchrum pulchri ingenij tui fætum! Vulpecula tamen hominis, cur me celasti? Erubueram ego ad laudationem eius, & ad libri conspectum. &, Itáne properiter, inquam, ad te hę nugæ? quæ quidem delatæ in tam cultas istas oras, audace nimis & infelice pennâ. Placituras eas aliis quî sperem? odi ego pater. & (verbo dicam) perisse vellem: adeò non lætor peperisse. At quod te celauerim, ne culpa. per absentiam enim meam editæ: & nec nunc quidem in manu mihi exemplar. Ceterùm non ista, Murete, (ne nescias) vobis Italis & togatis scripta, sed braccatis meis & pellitis. itaque nec si habeam, prodam. Ille subridens, Hem! inquit, támne inclemens in nouam istam prolem? quam tamen deprimis & abiicis frustrà. tollam enim ego, & velut Leuana ero tenello huic fætu. Quid autem meruit libellus tersus, lepidus, & in quo ingenij iudiciique tui pręclaræ notæ? Ego excipiens, Certè, inquam, notæ: sed ingenij ac iudicij iuuenantis. Quàm vaga & vana pleraque illa scriptio? censuræ quàm leues, futiles, & sæpe falsæ? Repeto iterùm. pudet & piget genuisse, sperno alleuare aut educare. Tantum nunc ad iudicium vel annus vnus addidit, vel cælum hoc Italiæ vestræ. Muretus iam seuerior, Parce, parce, inquit: in adfectatâ istâ seueritate peccas. Nam vt liberè & vt mos meus dicam, Non ego librum tuum vsquequaque à culpis præstem (video alibi in stilo iuuenilem luxuriem, in censuris calidius iudicium:) sed tamen nec vinum, vinum esse desinit, si aquæ in eo aliqua pars: nec liber tuus adprobus, si labeculæ interspersæ aut errores. Vtique in Critico isto genere. quod quis percurrit sine lapsu ac relapsu? non

Varia Lectiones nostræ.

Critica scriptio parum certa.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

non Varrones illi aut Ælij olim, non Scaligeri hodie aut Turnebi. Itaque fide Lipsi, & perge in hâc viâ. quam si firmiori paullo pede (ætas hoc dabit) insistis: profectò Musa tibi serit, vt cum Pindaro dicam, *ἐπήρατον δ'ὄξαν Benignè nimis & honestè, inquam. sed tu mone, quæso, sicubi aberrem, ac dirige: obnoxium reperies & pârentem. Vt enim viti pedamentis quibusdam ac ridicis opus est, ne iaceat: sic iuuentuti monitis, ne cadat. Fiet hoc quoque, ait ille. nec minùs monere amicum ego promptus, quàm laudare.

*amabilem famam.

CAP. II.

Ad sermonem hunc ingressio. Prædictum de dignitate & de fructu cognitæ Veræ Pronunciationis. Suetonius correctus.

SED ne plura de te, apud te: ecce cum maximè intrabas Lipsi, auidus lector ego in *sermone tuo conuiuiali, qui de Effatu prisco est Latinæ linguæ. auidus, sed non satur: quia parciter conuiuis tuis suggeris, nec imples nos cupitâ illâ dape. Diu iam ipse quæro, quæ vetus illa & vera pronunciatio: sed adhuc eo fructu, vt quærens assiduè, magis quæram. Oram aut finem repperi nondum. Tu autem quid? iniicis quædam & obiicis, sed ad extremum nil decernis aut statuis: & cùm nodos aliquot benè nexuisti, pendulum & iudicij incertum relinquis lectorem. Vt apis iniecto & relicto aculeo fugit: ita tu. Ego arridens, Adeò hoc non nego Murete, inquam, vt profitear vltrò hanc solam mihi fuisse mentem. Vos magni Senatores hæretis hîc & controuertitis: ego de plebe litteratorum interponam decretorium stilum? plus oris mihi, plus cordis. Quis igitur sermoni meo finis? ille, vt inquirente eo velut pugiunculo, elicerem & educerem iudicia vestra. Caprificum aiunt, cùm ipsa maturas ficus non gignat, insecta tamen quædam producere quæ veras ficus maturent, scalpendo, morsicando. eadem mihi mens, vtinam & effectus! Litem ego ad tribunal adtuli: tu, aut tui aliquis similis, decidito eam Prętor. Sed tu Murete potius. qui idoneus valdè Palæmon ad sedandos Grammaticos hos fluctus. Muretus resiliens, Me huc vocas? inquit. ineptè. Adeò enim alios hîc sistere non idoneus, vt

*Quæ inserui secundo lib. Variar.

Difficilis inquisitio priscæ pronunciationis.

De quâ parte plenè ego olim scripsi.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

fluctuer ipſe ego. Nec tamen fugiam nimis, fateor, ſermonis huius viam (præſertim ſi ſecanda illa tecum:) niſi tenue illud me abſterreat & inutile quæſtionis. Quæ enim hîc dignitas? qui fructus? Anxia inquiſitio Lipſi, nec res tota tanti. Et ſanè peccamus iam ſæpe curiosâ iſtâ curâ nos litterati. Quidam eo ingenio ſiue vitio oculorum eſſe feruntur, vt de die cæcutiant, in tenebris cernant. vide ne nos iis ſimiles, qui ad minuta & tenebroſa hæc acriter oculos pandimus, claudimus ad Sapientiæ lucem. Ego iam iritatior, Moram Murete iniicis, inquam, ſed, cum Plauto noſtro dicam, morè. Vileſcit tibi hic ſermo. Itáne? ſcilicet Mureto aut Lipſio indignum decurrere Grammaticum hoc æquor, quod tot olim Senatores, imò addo, Imperatores? Meſſalla orator, è clariſſimâ Coruorum gente, non librum integrũ De vnicâ litterâ S. compoſuit? & cum laude quidem nominis ſui, adeò ſine fraude. Claudius Imperator, quantâ curâ, & pænè dicam ambitione, tres nouas litteras inuexit, iisque Romanam linguam auxit? non aliâ, quàm ſi totidem regnis imperij fines. Iam Cæſar ille Iulius De Analogiâ, id eſt leuibus Grammaticorum tricis, binos libros conſcripſit: & triumphales illas epulas variare & interſtinguere non erubuit ſcholicâ iſtâ dape. Auguſtus ipſe maieſtatis ſuæ vſqueeò retinens Princeps, vt eorum ſibi honores vindicaret adhuc viuus, quàm ſollicitè apud nepotes ſuos, quid & quomodo ſcriberent, cauit? Quin ipſe eos *& litteras & notare* (ita in Suetonio legimus, non *natare*, quod obtinuit, & quod remotius à Tranquilli mente) *aliáque rudimenta per ſe plerumque docuit: ac nihil æquè laborauit quàm vt imitarentur chirographum ſuum*. En, ad ferulas iſtas ſeriò deſcenderunt ipſa ſceptra: & nos faſtidimus ac delicias facimus, ſi per luſum in iis conſumamus pauca verba? Dico per luſum. ne tu curioſas mihi curas ingeras: quas tecum ſperno, & inter remiſſiones hoc agi ſaltem poſtulo, ambulando, garriendo. At enim nõ iſtis fructus. Quis dicit? Pullati fortaſſe & bullati. at non hoc mei purpurati quos adduxi, non magni omnes viri, apud quos ea ſemper magna. Speciem non habent, fateor; rem certè & vſum. Vt ſtirpe arbores, fundamento ædes: ſic litterariis iſtis elementis ardua illa doctrinarum nixa, & Sapientiæ ipſa templa. Sed vt iſta latent; etiam illa.

Tenuis etiam inquiſitio: & vulgi iudicio, ſine dignitate.

At non ſenſu meliorum, & melioris aui.

Principes viri olim in Grãmaticis curis.

In Suetonio emendatio.

Quatenus hac tractãda.

Qua vtilitas eorum.

Occultam eam eſſe, at non parnam.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

illa. Ecce in naui vela & armamenta omnium oculis se munusq; suum ingerunt: deliteſcit in puppi gubernator ille clauus. idem in ſcientiarum iſto corpore cenſe:in quo ſpecioſæ aliæ,aliæ occultæ ſed efficaces. Quamobrem, mi Murete, aggredere, & fuge formidines iſtas vani vulgi. Ille cum riſu manum mihi premens, Vellem tuam hanc Formidinem, inquit: quâ callidè in retia iſta me compellis. Sed túne valdè vacuus? Quid iam! inquam. Quia, inquit, longiorem textum præui deo huius ſermonis: qui nec ordiendus eſt, ſi abrumpendus. Alacriter ego, At non vacuna magis vacua Murete, quàm ego. Luſtrare, vagari, diſcurrere, hoc opus meum Romæ. Age, incipe cum deo. Ille doceat, ducat, inquit. ſed ego te priùs, niſi abnuis, ad viæ huius caput, extra æſtum qui adſurgit. Valdè placet, inquam. & en, opportunè hîc ſcamellum ſub ſtatuâ ipſâ facundi dei. (Mercurius ibi è marmore.) inſidemúſne? Inſidemus, ait Muretus, vel ominis certè cauſsâ; vt mentem eius participemus, & interpretem linguam. Sed heus tu, in parte ſcilicet iuuabis? In partu, inquam ego. nam, vt Socrates ille tuus (quem ita amas vt in * anulo geſtes) obſtetricis munus fungi ſe ait, & interrogando, dubitando, elicere veritatem: ſic ego parturientem te aliquid fortaſſe iuuero mouendo, quærendo. Ille riſit, & ſic cœpit.

* Effigie eius veteri ſignabat.

CAP. III.

Quæ cauſſa corruptæ Pronũciationis? Ea altiùs petita, à propagatione ſermonis: quæ per Romanum totum orbem. Afros, Gallos, Hiſpanos, Britannos Latinè vulgò ſciuiſſe. Hanc cauſſam corrupti ſoni germani: Item Barbarorum incurſum. Italica lingua quando cœperit? Penula Grammatica veſtis. Capellæ, Auguſtino, Tacito lux.

PRIVSQVAM hoc ſtadium ſeriò ingredior, Lipſi; ſi placet, ad carceres ipſos paullùm reſiſtam. Nam corruptam aliamque à veteri Pronuntiationem noſtram eſſe, vniuerſus hic ſermo te docebit: quomodo, quibusq; cauſſis, nónne iure breuiter prælibabo? Mihi videor, ad rei tuamq; lucem. Lingua igitur, quam Latinam appellamus, exiguis olim finibus, vt ipſa gens, contenta, circa Romam ferè & finitima in-

Haud latè fuſa olim Rom. lingua.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

fero Tiberi hæsit. Italiam ceteram adeò non peruasit, vt quæque gens suo vsa sit, & diuersissimo ab hac sermone. Volsci, inquam, Osci, Etrusci, Samnites, Brutij, Apuli, peculiares & suę indolis linguas vsurparunt: quas diu, aucto etiam imperio, tenuerunt. Nam Romanis etsi arma inferre finitimis acris cura fuit: nõ etiam mores, sacra, linguam. quin contrà, aliquamdiu arcuisse ista videntur, & communicari ea cum aliis recusasse. Certè vt beneficium indulsêre, & veniâ ad eam rem opus ac permissu. Liuius clarè suggerit, lib. XL. *Cumanis* (* Osca, aut Græca eorum lingua) *eo anno petentibus permissum, vt publicè* (id accipio de scriptis decretisque publicis) *Latinè loquerentur, præconibuque Latinè vendendi ius esset.* Hoc narrat sub annum Vrbis DLXXIII. Vt videatur etiam tunc, post Punica bella finibus valdè auctis, haud valdè auxisse lingua. At mox immẽsùm: & diu coërcita, velut rupto obiice, se effudit. Occasione quidem & caussâ duplici. Missu primùm coloniarum: deinde, Communione ciuitatis. Nam de coloniis; cùm Romani eas spargerent, firmãdo imperio, per omnes gentes: necessariò vnà etiam linguam. quia numerosi isti coloni: & æquabant plerumque aut superabant ciuium veterum partem. Ita si commercia aut colloquia futura inter eos: alteros in alterorum linguam migrare paullatim necessum erat. & quos potiùs, quàm qui victi? Ingenium & natura ipsa ita fert, vt flectant se omnia ad mores, cultumque victoris. & inprimis sermo: cuius lenis & lenta mutatio grauis nemini, curiosis nonnullis suauis. Discendi enim speciem habet, & sciendi. Hæc ratio incredibile quàm citò, quàm latè, diffuderit Romanum hunc sermonem: & frugifera semina eius iecerit per orbem terræ. Non aliter quàm Græcos olim, hac ipsâ viâ, propagasse obseruo suum. Coloniis enim interspersis, Asiam illam totam minorem implerunt scientiæ & linguæ: inde Rhodum, Cyprum, insulasque finitimas. sed & loca mox sita longiùs, Siciliam, Italiam (ora enim illa maris quę magna Græcia dicta, habuit & * linguam:) quin Massilienssium operâ Galliam ipsam, & Hispaniam per Emporienses. Denique in Syriâ, & Orientis magnâ parte, imò apud ipsos Parthos, * auctores mihi, valuisse & increbuisse hunc sermonem. Iam caussa altera, Communio ciuitatis. Romani

Varia Italorum gentes, sermone variabant.

Romani parci & tardi in communicãdâ suâ linguâ primis.

Siti enim in Oscis. & tamen quia colonia Græcanica, suspicari & de Græcâ possis.

Posteà largi.

Quomodo diffuderint?

Per colonias primò.

Vti & Græci olim suam.

*Ex Liuij XXXI.

*Plutarchus in Crasso.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

mani videlicet paullatim munes magis & benigni, ius illud grande suæ vrbis, non solùm cum adsitis gentibus communicarunt, Etruscis, Vmbris, Samnitibus aliisque Italorum: sed & cum dissitis. nec pudori iis, non dicam Græcos & palliatos, sed barbaros & braccatos miscere suæ togæ. Res clara. At qui donati eo iure: quomodo vti frui honestè eo poterant, sine conscientiâ linguæ? quomodo ciues Romani haberi & censeri, nisi vt Romanè intellegerent ac sonarent? Quin adeò nesciisse id, non turpe solùm, sed periculo iunctum: vt exstent exempla, ob vnam hanc noxam, ademptæ ciuitatis. Claudius certè Imperator, * *Splendidum virum Græciæque prouinciæ principem, verùm Latini sermonis ignarum, non modò albo iudicum eraſit, sed etiam in peregrinitatem redegit*. Iamque Romani honorem suum agi palàm censebant, in honore suæ linguæ. * Ita ne legatis quidem gentium exterarum permissum in curiâ, nisi per interpretem, loqui: iisque Latinè semper responsa data. Primus Molon Rhetor in Senatu auditus gentis suæ linguâ, circa annum Vrbis DCLXXII. Idque seruatum *non in vrbe tantùm nostrâ*, ait Valerius, *sed etiam in Græciâ & Asiâ. quòd scilicet Latinæ vocis honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur*. Quin nec Præsides prouinciarum aut Prætores, nisi Latinè ius dicebãt: & quidquid publicè gestum, elatum eâ linguâ. Adeò vt Tiberius Imperator (Suetonio scriptum) *militem Græcè testimonium interrogatum, nisi Latinè respondere vetuerit*. Benè igitur & verè * Augustinus, de hac Romanorum vt ipse interpretatur, ambitione: *Data est opera, vt ciuitas imperiosa non solùm iugum, verumetiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis* (corrigi velim, *sociatis*, aut certè, *speciem societatis*) *imponeret*. At * Plinius beneficentiam id accipit; &, meo animo, in Italiæ laudibus iure ponit, *quòd tot populorum discordes feraſque linguas sermonis commercio contraxerit ad colloquia, & humanitatem homini dederit*. Præclarum enim reuera donum, & exitu vtile, quacumque tandem id fini à Romanis. Separatio illa linguarum, gentem à gente separat: &, vt vetus quispiam scripsit, *efficit loquendi varietas, vt externus alieno non sit hominis vice*. Ita sparsa igitur, bono generis humani, hæc lingua: tam longè, latè, vt Plutarchus scripserit, *omnes ferè homines, suo æuo, eâ vsos*. Pauca,

Deinde, per communicatã ciuitatem.

Turpe enim ciues linguæ nescire ciuili.

Imò & periculosum.

* Sueton. cap. XVI.

* Hæc Valerius lib. ij. cap. II.

Solus Rom. sermo publicè in vsu.

* Lib. XIX. De Ciuit. cap. VII. *Correctus leuiter Augustinus.*

* Lib. III. cap. V.

Vtilis hæc diffusio humano generi.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

ſed notanda eius verba, in Quæſtionibus Platonicis, hæc: ὡς δοκεῖ μοι πρὸς ῥωμαίων λέγειν, ὧν μὲν λώγῳ νικᾷ ὁμοῦ τι πάντες ἄνθρωποι χρῶνται. Sed ſparſa tamen verſus Occidentem Septentrionesq́; maxime: quia Græci & Orientales, haud æquè faciles cedere & faſces ſubmittere ſermoni, quem præ ſuo putabant parum cultum. At Afri, Galli, Hiſpani, Pannonij, Britanni, auidè arripuerunt: & inducto nouo, paullatim abolitum iuerunt veterem ſermonem. De Afris, Apuleius in Floridis index: & Auguſtinus, Cyprianus, noſtriq́ue illi proceres, qui plebem in ſacris conuentibus allocuti ſunt Latinè. Conciones nónne exſtant? De Gallis, & quidem iaminde ab Auguſti æuo, Strabo: *quos negat dicendos vltrà Barbaros*, μεταπεμένους τὸ πλέον ἐς τὸν τῶν ῥωμαίων τύπον καὶ τῇ γλώττῃ καὶ τοῖς βίοις, τινὰς δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ, *mutatos iam in Romanum morem, & linguâ & vitâ, quoſdam & ciuili gubernatione*. Idemq́ue de Hiſpanis: οἱ πρὸς τὸν βαῖτιν, τελέως εἰς τὸν ῥωμαίων μεταβέβληνται τρόπον, ὥδ' ἐκ τῆς ἀγαλέκτου τῆς σφετέρας ἔτι μεμνήμενοι. *qui ad Bætim colunt, plenè planeq́ue conuerſi iam in Romanos ritus, adeò vt nec ſermonis ſui patrij meminerint*. Et Velleius, de Pannoniis: *In omnibus Pannoniis non diſciplinæ tantùm, ſed linguæ quoque notitia Romanæ*. Nec ambigam etiam de Britannis, ex Tacito, qui de Agricolâ eorum Præſide: *Iam verò Principum filios liberalibus artibus erudire, & ingenia Britannorum ſtudiis Gallorum anteferre. vt qui modò linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiſcerent*. Itaque ex fide, Iuuenalis:

Gallia cauſſidicos docuit facunda Britannos.

Qui idem, etſi per Satyricum riſum, oſtendit de Thule. Atque hæc, Lipſi, diffuſio Romanæ linguæ. de quâ ego ſatis fusè, vt cauſſas hinc peterem confuſæ Pronunciationis. Hæc enim prima veraq́ue occaſio. quòd ſparſa lingua per gentes tam varias, variauit ipſa: nec patrium illum colorem diu tenuit, aut ſuccum. Vites arboresq́ue tranſlatæ degenerant: cur non & ſermo? Aquæ in fonte ſuo aliter, aliter in riuis ſapiunt: ſermonem tu vbique indolem ſuam ſeruare vis? Non potuit. & colorem, vt ita dicam, ſaporemq́ue mutauit transfuſus in tot gentium canales. Ipſos Italos abiſſe in pronunciando à germanitate illâ* Cicero fatetur, quæ in Romanis: Prænestinos Plautus irridet, verba quædam vitiosè efferentes: in nobis barbaris

Quæ tamè in noſtris oris maximè.

Afri, Latini:

Galli pariter:

Item Hiſpani:

Pannonij, & Britanni.

Tam latè fuſa lingua pura non manſit.

*III. De Oratore.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

baris horum nihil sit? Qui iaminde sub initia, vt opinor, rectam pronunciandi lineam firmiter numquam institimus: & magis ab eâ excidimus, post mixtionem & influxum tot gentium barbararum. Gothi, Hunni, Vandali, inserti nobis; nec vitium aliquod sermoni fecerit hæc contages? magnum. præsertim cùm non perambularint hæc loca, sed insederint; & vt Romani, arma sua pariter intulerint, mores, linguam. Hoc modò interfuit, quòd mansio eorum minùs diuturna. Itaque non Pronunciatio tantùm per eos corrupta soniqúe verborum, sed ipsa verba; & facta ex variâ illâ fæce miscella quædam & noua lingua. Hinc Italica ista originem suam habuit, hinc Gallica & Hispana: in quibus Latij vestigia clara vides, & semen prisci ortus. Igitur Festus iure scripsit: *Latinè loqui à Latio dictum est: quæ locutio adeò est versa, vt vix vlla eius pars maneat in notitiâ.* Ego hîc interpellans, Hócne Festus? inquam. & iamtum illo æuo ita desita prisca lingua? vix, Murete, fides. Mihi hoc fidum, inquit. & ante mille annos in vsu & vitâ fuisse Italicum hunc sermonem scio, languido aut emortuo Latino. Argumentum mihi ex narratione, quæ in Historiâ Miscellâ, de rebus sub Mauricio Imperatore gestis. Ait: *in exercitu cùm animans cecidisset, clamante quodam** TORNA TORNA FRATER, *vniuersas copias in fugam versas ambiguo illo vocis.* Agnoscis clarè Italicismum in iis verbis. Et alterum firmius, ab instrumento quod Lutetiæ in Bibliothecâ regis adseruatur. Transactio eo continetur Stephani tutoris cum Gratiano pupillo, scripta anno Iustinianæi imperij trigesimooctauo; & scripta hac vulgare linguâ. At si sermo ipse Romanus periit: quî ambiges de sono? id est, de re fragili ac flexili, & ad omnem occasionem factâ frangi. Sed enim sermonem è libris iterum instaurauimus. Ita. sed quâ arte istum? non enim scribitur aut pingitur: nec hauriri eum fas nisi à viuâ voce. Quid verba facio? sponsione prouoco, Ni tam corrupta hodierna pronunciatio ista sit, vt siquis è veteribus Togatis illis prodeat & nos audiat: non audiat, & vix verbum capiat è denis meis verbis. Sed exspatior fortasse. rem nunc aggredior, & calcare incipiam has spinas. Tu penulam mihi, Lipsi, das? Quid ita? inquam. Vt seriò Grammaticum agam, ait: & eâ me velem

Pronunciatio germana ægrè migrat in exteros.

Et quod eius fuit, hostes corrupêre ac Barbari.

Per eos noua lingua inuecta.

Confusanea illa Italica, Gallica & Hispana, Latina matris notha proles.

Quãdo Italica cœpisse videatur.

*Quod Italis, Verte, aut Redi.

Si sermo corruptus: quî non pronunciatio?

Quæ à viuis ad viuos tantùm puriter transit.

Quanta hæc corruptio?

Penula, olim Grammaticorum propria

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

lem in has puncturas. Nam, ne nescias, veterum Grammaticorum ille mos, penulâ vestiri. Martianus Capella doctè & scitè ingerit, qui libri III. initio Grammaticam suam, *in Senatum deorum ingressam* describit *penulatam*. Augustinus I. Confessionum ab hac ipsâ caussâ, minutos istos Magistros dixit penulatos. *Quis autem penulatorum magistrorum audiat aure sobriâ, ex eodem puluere hominem clamantem,* *Fingebat hæc Homerus*, &c. Etiam apud magis priscos, Aduocati & Causarum actores prodibant in hac veste. Tacitus, siue Quinctilianus, in eo De Causis corruptæ eloquentiæ: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attulisse penulas istas, quibus astricti & velut inclusi cum iudicibus fabulamur?* Benè Astricti & Inclusi: quia talis illaipsa vestis. stricta inquam, corpus ambiens, & velut pressim includens. Ideò Somniorum peritus ille interpres, Angustias & timores nunciari vult, angustâ eâ veste. Verba* eius libro II. Χλαμύς δε, ἣν ἔνιοι* μανδύλιν, οἱ δὲ ἐφεστρίδα, οἱ δὲ βέλιον, ἢ ἄνne βίρρον, ὲ Suida? qui ἱμάτιον ῥωμαϊκὸν interpretatur?)καλοῦσι, θλίψιν & στενοχωρίαν μαντεύεται, διὰ τὸ ἐμπεφιέχειν τὸ σῶμα. τὸ δὲ ἀπὸ τῆ ὁ λεγόμενο* φαινόλης. Euge! beas his sermonibus, inquam. Doces & dicis ore alio nondum dicta, Sed pergísne celeri hoc pede?

Etiam Aduocatorũ, aut patronorum.

Tacito lux. & quod genus ea vestis?

* Artemidori.

* Lacernam intellege, quæ penulæ haud absimilis.

* Ita Græci penulam, siue pænulam.

CAPVT IIII.

Pronunciatio generatim definita: diuisa: & quis dicendorum hîc ordo.

IMò clementer nos volo Lipsi, ait, & κῆ ποδὸς βάσιν. Simulque silentio aliquo interposito, sic cœpit. Age, age. sperno iam carceres, & seriò ingredior in ludicrum hunc Circum. Verè ludicrum. Grammaticum enim sacrum ordior: & fio, cum Aristophanæo Socrate, * ἱερεὺς τῆς λεπτοτάτων λήρων. Me quidem iudice, ista nugæ: sed tamen difficiles subtilesque nugæ. & benè* ille in hac re,

* Sacerdos tenuissimarũ Nugarum.

* Terentianus Maurus.

Fronte exile negocium
Et dignum pueris putes:
Aggressis labor arduus.

Sed & nugæ fortasse vtiles: si id saltem peruinci possit, vt non in lucem solùm ista veniant, sed in vsum. Dignitas certè & splendor

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

splendor per ea concilietur Latinæ linguæ. Sed Deus & Fatum hoc viderint: tu Prætor mappam mihi iam misisti. PRONVNCIATIO Lipsi, de quâ agimus, à me definitur *recta & legitima verborum expressio per syllabas, litterasque*. Rectam, capio eam, quæ antiqua. Valet quidem in omni re Fabianum illud, *Vetera maiestas quædam &, vt sic dixerim, religio commendat*: hîc maximè, vbi nihil tenes, nisi tenes priscum vsum. Ratio aut acumen quid te adiuuent? iaceant in hac parte necessum est. & frustrà aliquis à se sapiat in linguâ, quæ peregrina tota & aliena. in quâ vna veri via, olim tritam viam vidisse. Tu aduena & nouus si in Italicâ hac, præter ipsos Italos, præsipias aliquid aut præcipias; risum nobis iure debeas. pariter Barbari, si in Latinâ. Dixi *per syllabas litterasque*: vt duplicem eam ostenderem, ELEMENTAREM & ACCENTVALEM. Illam appello, *quæ in notis ipsis litterarum exprimendis cernitur*. Hanc, *quæ in syllabis apto tono ac modulo attollendis siue deprimendis*. In his enim duobus tota Pronunciatio posita. Ordiar ab Elementari igitur, & decursâ eâ transibo ad Accentus. Elementa siue Litteræ (etsi Priscianus distinguit, & illa propriè dici de sono litterarum vult, has de figuris siue notis.) viginti tria Latinis. Ea diuisa in duas classes, Vocalium & Consonarum. quibus addo & tertiam Diphthongorum, quæ ex Vocalibus mistæ. Omnes eas, certè pleraſque, aut malè à nobis efferri aut mutilè, hoc docebo. Tu attende. ego de Vocalibus vocalis primùm ero: quæ quinque sunt, A. E. I. O. V.

Quid sit Pronunciatio?

Ad vsum ea, non ad Rationem exigëda.

Quotuplex illa?

Elementaris.

Accentualis.

Ordo dicendorum, & materies.

CAPVT V.

Vocales omnes Latinis Pluri-sonæ. Eædem modulo & quantitate ancipites: ideoque olim Pronunciatu & scriptu distinctæ. Geminatio earum qualis? Apex, qualis?

EARVM omnium Latinis plus vno sonus. Priscianus denos aut plures cuique tribuit, ex enunciatione, ex flatu, ex accentu. Tu eum vide. nam ego cur subtilia illa persequar, sine bono vllo vsu? Sonos eos tantùm exigam, qui in naturâ ipsâ litteræ & in solitario eius proprioque effatu insunt. Talis, vt minimùm, cuique vocali duplex. Ego interrupi, Dupléxne? C inquam.

Vocalium plures soni.

Duo cuique, vt minimùm.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

inquam. at nobis, mi Murete, ſimplex Quieſce, inquit, audies. imò non duplex modò, ſed quibuſdam triplex quadruplexque. ſed minimùm duplex. Cùm enim Vocales omnes ancipites ſint Latinis (de quantitate loquor) & modò longæ eæ, modò breues: curæ inprimis habuerunt priſci, vt ſono ipſo diſtinguerent, quantæ illæ in quâque dictione. Ex ipſo inquam enunciatu colligebas, A, an I, longum in *Palus*, in *Sinus* dicerem: o, an V, in *Populus*, in *Uter*: & *Legimus*, præterito tempore efferrem, an præſenti. Decorè, imò vtiliter. nam hodie quæ confuſio & turbela? Omnium pariter idem ſonus, breuium longarumque. adeoque Vocalem vnam non diſcernimus, vt nec eam à Biuocali. Itaque iure ambiguitatibus ſcatet & ſordet hic noſter ſermo, præ antiquo. Nec cura iis ſolùm hæc in enunciando: etiam in ſcribendo fuit. Aliter omnino Vocales longas pingere ſoliti, aliter contractas. Nam has ſolitarias ponebãt, ad exemplum hodiernum: illas geminabant, vt duplicatione ipsâ duplicem & productum in iis oſtenderent illum ſonum. Hunc vſum ſcriptores priſci mihi firmant, vt Victorinus Afer: *Næuius & Liuius, cùm longa ſillaba ſcribenda eſſet, duas vocales ponebant*. Quinctilianus: qui manſiſſe id ad Attium vult, his verbis. *Vſque ad Attium & vltrà, porrectas ſillabas geminis vocalibus ſcripsêre*. At Terentius Scaurus Attium ipſum auctorem facere eius inuenti videtur: vt cenſeo, falsò. *Attius*, inquit, *geminatis vocalibus ſcribi naturâ longas ſillabas* * *voluit: cùm alioqui adiecto vel ſublato apice longitudinis vel breuitatis nota* * *poſſit oſtendi*. Qui benè tamen de Apice monet. quem ſecuta ætas, vt compendi faceret, vſurpauit pro geminatione. * Apicem appello, *lineam tranſuerſam quam ſuperiicere vocalibus longis ſoliti*, hoc modo. Ā. Ē. Ō. V̄. Nam, I, conſultò omiſi: quæ ſola nec geminata olim, nec apicata, vt dicam infrà. Hæc linea eſt, quam Græci dixêre τὸν μακρὸν. Quinctilianus de eâ fusè & commodè: *Vt longis ſillabis omnibus apponere apicem ineptiſſimum eſt, quia plurimæ, naturâ ipsâ verbi quod ſcribitur, patent: ſic interim neceſſarium, cùm eadem littera alium atque alium intellectum, prout correpta vel producta eſt, facit. vt Malus vtrum arborem ſignificet an hominem non bonum, a pice diſtinguitur. palus aliud priore ſillabâ longâ, aliud ſequenti ſignificat. Et cùm eadem littera nominatiuo caſu*

Idq; prout breues, aut longæ.

Commodum id ad amphiboliam vitandam.

Quod diſcrimen etiam in ſcripturâ.

Nam longas duplicabant.

Quo euo id ſolitum.

*Fortè, noluit.

*poſſet. Apex in duplicationem ſucceſſit.

*Ego eius loco Accentu flexo vtor vel abutor in meis libellis: quia Typographis ita viſum. At priſcum illud reduci velim.

Quid is, eiúſque vſio.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

caſu breuis, ablatiuo longa eſt; vtrum ſequamur, plerumque hac notâ monendi ſumus. Atque vt geminatio dudum, ſic Apex iſte nunc prorſus aboluit. maiorum æuo in tam crebro vſu, vt Iſidorus autumet habitum eum inter legitimas ipſas litteras, his verbis. *Inter figuras litterarum, & Apices veteres duxêre. Eſt autem linea iacens ſuper litteram, æqualiter ducta.* Nos vtimur, ſed longè aliorsùm, & N. vel M. litteræ velut ſuppoſiticium eum, compendiariâ quâdam ſcripturâ, habemus. Quod tamen haud nouitij planè inuenti videtur. ſiquidem in priſcis etiam libris hic apex occaſionem erroneæ iſti ſcripturæ præbuit, * *Quotiens, Totiens, Vicenſimus, Formonſus, Aquonſus*: cùm ſcilicet inueniſſent, *Quotiẽs, Vicẽſimus, Formõſus*. Hæc vniuersè de Vocalibus, earumque ſono: ſingulas nunc mihi vide.

Et ille, & geminatio, nũc periit.

Aut quidẽ in alio nobis vſu.

* Tamẽ hæc in vetuſtiſſimis tabulis æreis marmoreisq; legas. ideò amplio, nec temerè dãnem.

CAPVT VI.

Vocales primos affectus naturæ exprimere: & plurimùm, mæſtos. Artemidorus illuſtratus. A, litteræ geminus ſonus, Craſſus & Exilis. In Craſſo, duplex ea ſcripta: ſæpe cum flatu interpoſito.

ATQVE agimen mihi totum, A, ducet. iure. Cur enim non ea princeps, quæ Naturæ ductu, principium voci dat? Infantes vide: per hanc vagiunt. Pueros: per hanc babant, lallant, tatant. Viros, fæminas: præcipuos adfectus efferunt per iſtam. Gaudent? *ha ha*, audies. Dolent? *ah, ah*, ingeminabunt. Nec diſſimilis obſeruatio (permitte mihi curioſam paullùm curam) in Vocalium cæteris. E quibus, E, pariter gaudij doloriſque index. illius, cùm *Eu, Euge, Euoe, Euare* dicimus: iſtius, cùm *He, Hei, Heu, Heiulare*. Sicut O item *nos lætos* exclamamus, & *Ohe* ſaturos ac benè habitos, & Ouamus exſultantes. contrà, O, & *Oh nos miſeros*, etiam audies in dolore. At, I, in admirationem valet, cùm I I ad nouitatem iteramus, itemque *Io* ad triumphum. V, mæroris tantùm nota eſt: ab eâque *Hu, Hui*, & *Vlulare*. Cùm tamen attendis; magis eſt vt mæſtificæ omnes ſint, & dolor in iis præualeat, ſicut in omni vitâ. Ideò benè & peritè de interpretatione earum * Artemidorus: *Τῶν γραμμάτων τὰ μὲν φωνήεντα, τὴν φόβους τὴν ταραχὰς σημαίνει.* *Litterarum quæ vocales, metus ac turbellas ſignificant*. Sed miſſis

A, litteram naturâ princeps

Index adfectuum.

Qui expreſſi etiam per vocales alias. Vt in E litteram obſerues. Vt in O.

In I.

In V.

Artemidoro facula.
* Lib. III. cap. XXXIV.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Quotuplex A littera sonus.

deliciis, redeo ad meas spinas. A, igitur litteræ Pronunciatio duplex, Crassa & Lenis. Illa, cùm longa: hæc, cùm breuiata.

Lenis prior: & quomodo efferendus?

Lenem sic efferes: *ore diducto, flatu valentulo, suspensâ modicè linguâ, nec dentibus appulsâ.* Ita dices, *Amo, Facio, Adigo:* sic vt audis, & paullùm modò attenuatius subtiliusque quàm vulgò. At

Crassus alter: & quî exprimas?

Crassam incrassabis pariter. efferes eam *spiritu lento & haud æquè valido, ore modicè aperto, & pressim* (me vide) *rotundo.* denique in longâ eâ enunciatio longior, & velut AA geminatæ.

Ad distinctionem ea res valuit.

Sic dices, *Amaabam, Effaari, Aaram, Faatum.* Sic distingues *Maalum* in naui aut in pometo, ab homine *Malo*: sic *Anum* ebriam ab *Aano* obscæno: sic *Lingua* tibi secernetur à *Linguaa*. Hæc

* Sueui enim inter Germanos pingue illud in pleriſque litteris retinent.

* Sueuorum in suâ linguâ etiam hodie, vt audio, pronunciatio & scriptura est: hæc veterum fuit. quam Lucillius, & ij qui Apices prætulerunt, eiicere conati frustrà. Nam illius versus apud Victorinum sunt, è IX. Satyrar.

Lucillius damnat geminationem.

A, primum est, hinc incipiam, & quæ nomina ab hoc sunt.

Deinde:

A, primùm longa & breuis syllaba: nos tamen vnum
Hoc faciemus, & vno eodemque, vt diximus, pacto
Scribemus PACEM, PLACIDE, IANVM, ARIDVM, ACETVM,
Apes ἄπες *Græci vt faciunt.*

Panè frustrà: quia non auditus vulgò.

Damnat ecce manifestò hanc in scripturâ geminationem: sed nec Apices, vt videtur, agnoscit. Damnat tamen ita, vt non omnes iudici illi fuerint audientes. Nam etiam pòst, in libris & lapidibus hæc scriptura. C. NVMONIVS. VAALA apud Horatium in manuscriptis est, itemque in Numis: & Aletri lêgi in lapide, L. BETILIENVS. L. F. VAARVS. Ab hac ratione in Fastis & monumentis passim est SERVILIVS. AHALA. an re-

Certè libri & lapides tenuêre.

Ahala, vnde: & cur scriptus?

ctè, & an non verius *Ala*, frustrà litigant viri docti. Ego eos moneo *Aala* fuisse olim, ex ratione geminandi, quam dixi: & flatum solitum interponi sæpe, ad sustentandum, siue etiam molliendum. Simile est, quod * *Mehe*, pro *Me*, antiqui Litteratores notant, & *Mehecum*, atque etiam D. intersitâ, *Medecum.* Nec ab alio fonte *Prehendo*, *Vehemens*, cùm vera sint *Preendo*, *Veemens*. itemque *Mihi* hodie, quod *Mi*, & *Mii* antiquis. Ahalam quidem quod Alam valere, Cicero ostendit clarè in Oratore ad Brutum: *Quomodo noster Axilla* (malim *voster*. nam in

* Quinctil. lib. 1. cap. IX.

Serui-

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Seruilios adoptione Brutus translatus.) *Ala factus est, nisi fugâ litteræ vastioris?* De primo elemento eiusq; duplici sono, satis.

CAPVT VII.

Quadruplicem videri sonum in E litterâ fuisse. & ij ordine expositi. Hanc ipsam pro I sæpe scriptam. Iulij Cæsaris Scaligeri laudatio.

E, me* rogat & prensat. cuius enunciatio certò duplex est, arbitrariò quadruplex. In Exilem & Pinguem ea diuisa, vt vocales omnes: sed, nisi fallor, duplex iterum in illâ sonus, & in istâ. Acutè hæc indagem & obseruitem fortasse: quid refert, si verè? Primùm igitur, E, pinguis enunciata vt EE duplex: enunciata, sed & scripta. In Nummis legimus, FAVSTVS. FEELIX. in lapide: BASILICAM. CALECANDAM. SEEDES. Quæ autem hæc pronunciatio? me iudice, illa quæ apud *Gallos in plerisque Latinis vocibus hæsit. *Miel, Fiel* dicunt, pro Melle, Felle: ipsis verbis priscis, & fortasse germano sono. Nam olim fuit *Meel, Feel.* In scripturâ tamen peccarunt Galli: etiam isto, quòd extendêrunt, vt solet vulgus, ad sillabas breues. Nam *Bien*, à *Benè*, habet hanc stirpem. Quæ corrupta enunciatio tamen iam olim: vt discas è lapide (enimuerò sculptores illi aut marmorarij plerumque imperiti, & ideò in scripturâ sonum attendentes modò & exprimentes.) qui in hac vrbe conspicitur: PATRONII. SVAE. BIIANII. MERENTI. FECIT. quod non aliud quàm crasso enunciatu *Benè*. Simile in altero, SIISTIA. HIILLAS. quod accipio, *Sestia Hellas*. Hic prior sonus vt videtur (non enim adfirmem prorsus) in E longâ. quem efformabis, *ore primùm semicluso, dein aperto, cum intentiore spiritu, labiis productis modicè, appulsu nonnullo linguæ ad primores dentes*. Alter in eâdem, non productus æquè sed magis latus, & ad, A, tenue nonnihil inclinans. quem exprimes, *aperto magis ore, lento sed forti flatu, linguâ suspensâ & fastigiatâ leuiter, nec vllam in partem motâ.* Denique verbo vno Lipsi, insonat hoc E Latum (ita appellare malim, quàm Pingue aut Crassum) idem quod Eta Græcum. Firma ac certa hæc pronunciatio, (supra primam illam, cui primus auctor ego:) eique stabilitor Ausonius:

*Reuerâ hoc item blandiens in eius sono.

Duplex EE, elatum & scriptum.

*Etiam nos Belgæ EE, duplicem sic efferimus. *Deel*, pars: *Geheel*, integrum: *Neen*, non.

Lapidi ab auo barbaro luæ.

Efformatio soni.

E pro Etæ.

Efformatio soni.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Eta quod Æolidum quodque ε valet, hoc Latiare E.

Mens enim eius carminis, E Latinum æquiparare sono ἦτα & ι Græcanicum. Et Terentianus Maurus:

Litteram namque E videmus esse ad Eta proximam.

Adde Capellam: *E vocalis duarum Græcarum vim possidet. Nam cùm corripitur, E Græcum est, vt ab hoc Hoste: cùm producitur, Eta est, vt ab hac Die.* Manet hodie hæc enũciatio in multis: *Ascendo, Effectus, Obses, Dens, Mens, Lens, Mensis, Estur, Endo.* Nouum & acutum aliquid Donatus huic rei dixerat, sed locis corruptis, ita vt mentem eius non tam capiam quàm captem. In illud Terentij, *Filium perduxêre vt vnà esset*, scribit: *Id est, vt cibum capiat, & correptè.* Legam, *E correpto.* Iterùm in illud, *Vt de simbolis essemus*, sic: *Melius Essemus productâ E litterâ.* Quod scholium clarè pugnat in illud prius. & sanè hîc quoque corrigam, *Melius quàm Essemus.* Nam, meâ mente, hæc mens: Ab Edo edis, Esse cùm formatur: originis adspectu, E primam correptè enunciari debere. cùm à Sum, productè. Præfert autem vtroque loco, ex sententiâ carminis, Esse ab Edo: ideoque monet, & distinguit ab effatu. Habes duos sonos, qui in Longâ: duos reperio etiam in Breui. Tenuem alterum, sub-tinnulum & sub-acutum. qualis est in *Emo, Lego, Teneo.* quem promes *rictu rotundo, satis quod sit aperto, linguâ ad inferiores dentes dirigente.* Alterum tenuem item sed obscurum, mixti cuiusdam & ambigui inter E & I effatus. Præteriisse eum poteram, sed Quinctilianus mihi sedulò ingerit, qui notat: *In Herè vltimâ, neque* E *neque* I *planè audiri.* Et ab hac incertâ elatione, incerta item scriptura veterum: qui (eodem Fabio teste) *Quasi* * & *Quase, Sibi* & *Sibe* promiscuam scripsêre. Sed & in lapidibus ab hac caussâ reperio NAVEBVS, pro Nauibus, EXEMET, pro Exemit. ORNAVET. CEPET. DEANA. MERETO. SOLEĐAS. & *talia plura. Præter Fabium, Iulij quoque Cæsaris Scaligeri (deus bone, cuius viri! ne vir sim ego, si acutius aut capacius ingenium inter homines fuit ab illoipso Iuliano æuo.) Scaligeri inquam teretes aures etiam aduertêre: qui hoc ipsum in subtili scripto tangit De Caussis Linguę Latinæ. Abeo nunc. Mane mane paullùm, inquam ego. De Apice nihil hîc doces? Dictum puta semel, inquit ille. Omnes longæ congeminarunt,

Donati intricata sentẽt. a verbis: nec scio an sana.

Prior sonus in E breui.

Alter.

E pro I, vulgò scriptum.

* Atque ita T. Liuium scripsisse idẽ Quinctil. asserit, cap. XIII.

* Vt Quinctil. item notat, *Magester, Menerua, & Diioue* (ita is corrigendus) pro *Diioui.* lib. I. cap. V.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

minarunt, aut Apicem sumpserunt, præter vnam. De istâ quidem Terentium Scaurum audi: *Apices ibi poni debent, vbi eisdem litteris alia atque alia res significatur. vt Vēnit, & venit: Lēgit, & legit.* Teneo, inquam: nec te iam teneo. curre tuum cursum. *Apex in E longâ.*

CAPVT VIII.

Litteræ I, *triplex sonus. Quæ in Plauto sit longa littera?* EI *diphthongus passim pro* I *longâ: deque eâ scripturâ priscorum variantes sententiæ.*

VELLEM decurrisse, inquit. Sed ad tertium velut spatium vêni litteræ I: cuius sonum triplicem deprendo. Primum eius longæ: & verè longæ. quia non, vt ceteræ, geminatur aut apice insignitur: sed productior fit, & longitudine velut duplâ. Exempli caussâ, PISO. VIVVS. AEDILIS. QVINQVENNALIS. Ideò κατ' ἐξοχὴν, inter omnes litteras hæc propriè dicta longa. Plautus sciuit, & iocum captauit in personâ Staphylæ: *I, longiuscula ipsâ formâ.*

Plautina antiqua lõga littera?

——— *ex me vnam faciam litteram*
Longam, meum quando laqueo collum obstrinxero.

Apage enim vulgus interpretum, qui de litterâ L capiũt, quia longiuscula ea in nostrâ scriptione. apage & Lambinianam facem, qui ad quamuis grandiorem litteram vult aptari. certò mecum Plautus cepit de istâ: quæ sola inter grandes & Romanas illas litteras (nam hæ minutæ ignotæ olim) super ceteras eminuit, & formâ ipsâ pensilem prætulit ac porrectam. Hac eâdem mente Ausonius in liguritorem Eunum scripsit: *Item Ausonio.*

Quid imperite, P, putas ibi scriptum
Vbi locari Iota conuenit longum?

Nam suspendio censet eum dignum. Terentius Scaurus in hac re: *Super I litteram apex non ponitur. meliùs enim I in longum producetur. ceteræ vocales quia eodem ordine positæ* (lego, *ordine & positu*) *diuersa significant, apice distinguuntur.* Huius autem sonus, diffusus, latus. quem vti formes, *os mihi laxiùs aperi & cum conatu, inferiori mandibulâ nonnihil in latus flexâ.* Pronunciant etiamnunc (ita accepi) rectè soli pænè omnium Europæorum Britanni: quorum est *Regeina, Ameicus, Veita.* Rectè dico. quia reuera *Sonus eius legitimus.* *Qui apud Britannos reliquos.*

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

reuera non aliud insonuit hęc longa, quàm EI diphthongum. Itaque & Gręci interdum diphthongum pro illâ assumebant. vt in lapide prisco: πεχυεῖται ἀνέθηκαν. Nam ex lege esset, πεχῦται. At ipsi Latini magis promiscuè & hanc scripsêre & illam; non

EI, bimocalis illi compar.

ęuo solùm eodẽ, sed lapide siue libro. In vetustissimâ illâ Duillij columnâ, CASTREIS. & SOCIEIS. legas: nec minus, PRIMOS. & CARTAGINIENSIS. In Fastis: TRIVMPHAVIT. DE. GALLEIS. POENEIS. &c. In lapidibus aliis: VIAM. FECEI. ET. PONTEIS. IN. EA. POSEIVI. & sexcenta huius formæ. Libri etiam paullummodò veteres euariant, & nunc *Omneis*, *Naueis* scribunt, nunc *Omnis*, *Nauis*, &c. Ab hoc pronunciatu & scriptu Ciceronis illud facetum, ad Pætum: *Cùm ternei loquimur, nihil flagitij est: cùm binei, obscœnum.* Respicit enim ad Græcorum illud Βινεῖ, quod Latino respondebat examussim. Vsitata valdè hæc olim scriptio, sed & agitata. cùm seorsùm inter se irent non Grammatici solùm, sed magni illi patres. * Lucillius & Varro distinguere conati, quando & quatenus EI scribendum: surrexêre in eos Grammatici, nihil præter morem mori & morosi. Et tamen vicit & perrupit leges omnes siue vincla vsus. Hic tibi primus igitur sonus in I, litterâ. alter est in eâ Breui, & item alter. Prior, tenuis, exacutus; quem effingas, *leuiter apertis labiis cum sibilo aliquo, & dentibus velut renidendo paullùm restrictis.* Hoc audis in *Igitur*, *Via*, *Inibi*, *Iter*, &c. res enim hæc liquet. Alter tenuis item, sed fuscus, subobscurus, & inter I, & V, quasi medius. Seruius de isto: *I, & V, interdum expressum suum sonum non habent.* I, *vt Vir.* V, *vt Optumus.* Vberiùs paullò Victorinus: *Sunt qui inter V quoque & I litteram supputant deesse nobis: quæ pinguiùs quàm I, exiliùs quàm V sonet. Sed pace eorum dixerim, non vident Y litteram desiderari. sic enim Gylam, Myserum, Syllabam, Proxymum dicebant antiqui.* Vberiùs, sed nugaciùs. quia de scripturâ istâ quam affirmat, vetus ei lapis aut liber nunquam aderit subscriptor. At sonum tamen indicat verè & clarè. Priscianus, seu quis alius auctor libelli non indocti De constructione Virgilianorum versuum, vniuersè notat: In omni dictione cui initium à * *Vi* syllabâ, pronunciari hanc vt Y, Gręcum, sequentibus D, vel R, vel S, vel T, vel X. Hæc enim eius regula. & dat exempla, *Video*, *vide-*

Itaque ἀδιαφόρως altera pro alterâ scripta.

Litigium de hac re veterum.

Secundus, I, sonus.

Tertius sonus.

Ineptia hic Victorini.

Prisciani regula sed examinanti fallax.

* vide Nota ta in fine Capitis.

* Reipsâ autẽ pinguetudinẽ aliquam ab V consonãte sumit.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

bam, virago, vitium, vir. & plura vide, haud scio an vsquequaque vera. Nam ad Grammaticorum liras si plectrum hoc linguæ semel attemperem: quis finis? valdè delirem ipse: nec Mercurij omnes aut Lares reduxerint me in viam rectam.

NOTÆ.

AD Capitis huius opus, Lector, hoc tibi velut præter-opus adtexam: quia Grammaticæ hîc quædam lites, quas secabo æquus iudex. Tu lege, si valdè vacas: neglege, si leuiter sapis.

Dixi initio, I non duplicari. & est id ex mente omnium litteratorum, etiam ex vsu: nisi quòd interdum deuiat vnus aut alter lapis. vt ecce iste ab æuo Augusti: HERODIAN. PRÆGVSTATOR. DIVII. AVGVSTI. *I interdum duplicant.*

Dixi productam scribi: verissimè. sed addo, eam productam interdum æquiparare se duabus, quæ diuisim scribendæ. vt in lapide Munatij Planci: FECIT. DE MANIBIS. valet enim, *Manibus*. item in illis poëtarum, *Sæpe pro II, duplici posita.*

——*ignobilis otI.* ——*vrbem PatauI.* & in trito sepulchrorum, DIS MANIBVS.

Dixi *promiscuam veteres scripsisse EI*, vel I. longum. Priscianus aliter; qui veteres vult semper EI scripsisse, sequentem ætatem, I productum. Errat ipse, non ego: & refutant clarè æra & marmora vetusta, in quibus ferè omnibus (quasi si nihil interfit) confusanea hæc scriptura. Putidum sit citare: cui mens aut oculi, legat. Illud non importunè moneo, solüisse veteres EI illud scribere, etiam cùm I breue. Præter rationem, fateor: sed purgat ab errore eos tunc receptus error. Ita legimus in Agrariis, & Iudiciariis vetustissimis tabellis, quæ apud Cl. V. Fulvium Vrsinum: QVASEI. SIBEI. VBEI. SEINE. LEITERAS. *quasi, sibi, vbi, sine, literas.* Repperi etiam pro E, breui, in priscâ tabulâ Genuâte: AB. FONTEI. AD FLOVIVM. pro *Ab fonte.* *Prisciani error, aut perperam adfirmatio.* *EI, pro I, breui etiam scriptum.*

Attigi de Lucilliano & Varroniano præcepto. Id, si aues, hoc est: Vti plurali numero, Hi *puerei, Amicei*, & talia scriberes: singulari, *Huius Pueri, Amici.* Item *Illi*, datiuo casu, sine E: at *Illei*, nominatiuo plurali, pereamdem. Quod præcipit non aliâ re, quàm ad discrimen. Similis Varronis sententia; quam habes apud Terentium Scaurum. Huius verba non pretiũ est adtexere: illius, magis. quæ plusculis versibus complexa eademque fœdata, purgauit Iosephus Scaliger, ab aureâ stirpe aureus ille ramus. Exstant partim in Quinctiliani, partim Victorini: *Lucilij in hac re argutiæ seu discrimina:* *Et Varronis subscribentis.*

Iam PVEREI *venêre, E postremum facito atque I.*
Vt plures puerei fiant. I si faci' solum,
PVPILLI. PVERI. LVCILLI: *hoc vniu' fiet.*
Hoc ILLI *factum est vni: tenue hoc facies I.*
Hæc ILLEI *fecêre: addes E, vt pinguiu' fiat.*

D MEILLE

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

MEILLE *hominum, duo* MEILLIA, *item huic vtroque opu'*, MEILES,

MEILITIAM. *tenues I,* PILAM *quâ ludimu'*, PILVM *Quo pinſo tenues I. Plura hæc feceri'* PEILA *Quæ iacimus, addes E,* PEILA *vt pleniu' fiat.*

Addo ego ex Fabio & hunc verſum, eidem rei:

MENDACI FVRIQVE *addes E, cùm dare* FVREI *Iuſſeris.*

Qui nónne pugnax apertè in priores? Nam ibi ILLI, dandi caſu vetat cum E ſcribi: hîc eumdem caſum iubet. Sed purgo, quòd confuſionis non hîc metus: quoniam pluralis *Mendaces, Fures*. Itaque lapides ad Lucillium aptè: EIQVE. OPEREI DIEM. DEICITO. item: QVANTA. EI. PRÆCONEI. VIATOREI. DARE. OPORTEBIT. Sed & iidem ſæpe auertunt ab hac lege. Negat *Amicei* ſcribendum gignendi caſu. ac veruſtiſſimæ tabulæ: QVOD. EIVS. AGREI. LOCEI. PVBLICVM. POPVLEI. ROMANEI. ERIT. & crebrò. Vide nunc quàm ſani qui hodie litigant, *Omnis* an *Omneis*, *Plures* an *Plureis* exarandum. quaſi interſit ſcilicet in pronunciatu. Quod ſi nil in iſto: ſciant nec in ſcripto. At magiſtelli etiam veteres ludunt hîc ſuos ludos. *De nullâ ſcripturâ* (ait Victorinus) *diutius inter Orthographos quæſitum eſt quàm de iſtâ. Pilum aiunt* (tangit Lucillij verſus, qui ſuprà) *militare, te vinea, ſi ſit ſupra quam milites aggerem inſtituunt, per EI, ſcribenda: at ſi pilum ſit quo pinſitores vtuntur, & Vinea quæ ruri colitur, per I.* Quem corrige & exple à me obiter: *Pilum aiunt militare telum, & Vinea ſubter quam.* Non enim certè ſupra Vineam, ied eâ tecti milites opus inſtituunt. Et Quinctilianus pariter iſta & Lucillium damnat, vultque obtinere tantùm I longum. Vide tu eum lib. I. cap. XIII. Terentianum, Chariſium, Priſcianum. Ego vltrà diuerberem has nebulas?

Contra eos tamen vſus pugnauit & obtinuit.

Ineptiæ hodiè Criticorum.

non, puto, ſi ſapio.

Correctus Victorinus.

CAP. IX.

O duplex eſſe, quod ad tempus & ad ſonum. Auſonij verſus aliter lectus. Tranquillus illuſtratus.

OME ſiſtit, & poſcit ſibi ſuum ſonum. Quem aio duplicem. Adſonat enim Ω magno Græcanico, & eorumdem O exili. Grammatici vulgò atteſtantur: & Auſonius, vt ego eum lego, verſu iſto:

Ω quod & O Græcum, compenſat Romula vox o.

In tritis libris aliter, qui Υ *Græcum* ingerunt, ſcripturâ incertâ; imò verò, ex vi & poteſtate litterarum, falsâ. Nam quis Y cum

Duplex ſonus in O.

Auſonius huic rei correctus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

cum O comparauit vmquam? Migrant interdum, ſcio, altera in alteram: ſed non hoc euicerit, eiuſdem eas ſoni. Lugdunenſis ſcriptus codex, (cuius filo multos poëtæ eius Labyrinthos feliciter dium Scaligeri ingenium euaſit) habet: Ω *quod & coy*. Ex quo ille, Ω *quod & ov*. me tamen lentè approbante. Non enim verum planè, O Latiare, valere quod *ov* Hellanicum. Malim, *quod & o Græcum*. quoniam ea conſtans Grammaticorum veterum dictio, O noſtrum æquiparare duplici Græcorum, magno & minuto. Craſsè autem efferebant O illud Craſſum ſiue Maius: ſic vt in ſono ipſo eluceret vis eius duplex. Nam dicebant *Poöpulus* de arbore, *Voöcem*, *Oöram*, *Prætoörem*, & talia; propemodum vt nos Galli *Foy*, *Voix*, *Noiſe*. Vos Belgæ (ita docuêre me tui populares) meliùs: qui & ſcribitis pariter & effertis, *Broot*, panem: *Schoot*, ſinum: *Boom*, arborem. At caſſi tamen Latini ſubleuant in ſcriptione nonnihil Gallos: qui ipſi in Datiuis caſibus *Populoi Romanoi*, & ſimilia exarabant, efficiendo huic longo ſono. Victorinus & alij, teſtes. Neronis impius ſed non inſcitus iocus, ſtabiliendo huic duplici effatu: qui de Claudio mortuo idemtidem * *Mõrari eum inter homines deſiſſe illudebat*. ſimul & ad vulgatum illud adſpiciens, quo morari in viuis deſiſſe à morâ, homines ἀφήμως dicimus: & eâdem fatuitatem Claudio opprobrans, ſono ipſo pingui & gemino, quo oſtendebat verbum hoc ſe formare à * *Mõoro*. De hac Vocali quoniam res minimè turbida, ſermone meo cur illuſtrem? Verſus tantùm Terentiani Mauri licet addam, firmandæ totius rei, hoſce:

O lõgum quô ſonuerit?

Galli per OI, efferunt.

Belgæ oo geminant.

Iocus Neronis.

* Vt Suetonius ſcribit cap. XXXIX.

Primâ ſillabâ productâ.

* Id eſt, *ſtulto*.

Ω graiugenum Longior, alterâ eſt figurâ:
Alter ſonus eſt & nota temporum, Minori.
Compendia noſtri meliora crediderunt:
Vnâ quoniam ſat habitum eſt notare formâ,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret vſum.
Igitur ſonitum reddere cùm voles Minori,
Retrorſus adactam modicè teneto linguam,
Rictu neque magno ſat erit patêre labra.
At Longior alto tragicum ſub oris antro
Molita, rotundis acuit ſonum libellis.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CAPVT X.

De litterâ V. quadruplicem eius sonum esse: sed Primarium & eximium, duplicem. Plauto, Ausonio lux immissa. Quæ Feralis littera, & quare? Maurus & Charisius correcti.

VMIHI supereſt: per quam quinto & vltimo hoc ſpatio (* Domitiani ſcitum ita voluit) decurram. Sonores ci præcipui, duo: Latus, & Exilis. Ille, qui ου Græcum planè & plenè exprimit: iſte, qui Y eorumdem. Victorinus ab hac mente: *V ſimiliter poſita eſt pro breui, & pro longâ*. Et magnus Varro ſic diſcriminat clarè, in his verbis: *Quidam reprehẽdunt, quòd* PLVIT *&* LVIT *dicamus in præterito & præſenti tempore. Falluntur. nam eſt, ac putant, aliter. quod in præterito V dicimus longum,* PLVIT, LVIT: *in præſenti, breue. Ideò in venditionibus lege fundi* RVTA CAESA *ita dicimus, vt V producamus*. Hoc enim vult, *Pluit, Luit*, in præſenti tenuiter efferri, in præterito *Plouit*, *Louit*. Sonũ hunc Craſſum nemo meliùs expreſſerit Paraſito illo apud Plautum, cui quæſitus hinc iocus:

——Tu, tu iſtic, inquam. vin' adferri noctuam
Quæ Tu, Tu, vſque dicat tibi?

Comparat enim ecce illud, Tu, cum noctuino gemitu: quem *Tou* eſſe omnes ſcimus. Eum quoque Auſonius reſpiciens, de hac litterâ ſcripſit: *Cecropiis ignota ſonis, ferale ſonans V.* Ferale ideò, quia refert feralem illam auem. Quòd ait Græcis ignotam, verum eſt in litterâ vnâ. nam quin diphthongo ſuâ eam diſertè exprimant, quis neget? Hæc (longam dico) Latinis ſcripta tripliciter. Primùm ſolitaria, ſed, vt opinor, cum Apice. In Terentij Epigraphis: *Græca Apollodoru. Græca Menandru*: quæ clarum eſt valere & æquiparare illis Græcis, Απολλοδώρᾳ, Μενάνδρᾳ. Hinc illud Auſonij:

Vna eſt in noſtris, quâ reſpondêre Lacones,
Littera, & irato regi placuere negantes.

Significat enim V, perinde valere atque ου. Secundò, geminata: ritu ſcilicet aliarum Vocalium. Tabulâ æreâ Fuluianâ: P. MVVCIO COS. quod eſt, *Moucio*. Eâdem: SIREMSSQVE. OMNIVM. RERVM. LEXQVE. IVVSQVE. ESTO. quod eſt, *iousque*.

Teren-

* Qui ſingulos miſſus à ſeptenis ſpatiis ad quina corripuit. Sueton.

Duo ſoni in V.

Varroni lux.

Et Plauto.

Et Auſonio.

Feralis littera.

Longa V ſcribenda non vna ratio.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Terentianus ita ſcripſerat, ſed corruperunt vulgò:

Græca diphthongus ſed * ΟΫ *litteris noſtris vacat:*
Sola vocalis quod V̈V *complet hunc ſatis ſonum.*

* Diuiſim leges, aut verſus claudicat. *Terentianus correctus.*

Non habent Latini, inquit, ου diphthongum: quoniam VV geminata (ſic niſi ſcribis, illex eſt verſus) ſatis faciendo huic ſono. Tertiò, ſcripta ritu Græco. Victorinus de diphthongo eâ locutus, addit: *Noſtri etiam quoties eiuſdem ſoni longa ſillaba ſcribenda eſſet, & ipſi V adiungebant O litteræ. Inde ſcriptum legitis Loucetios, Nountios, Loumen, &c.* Hinc in Feſto, *Ouſentina tribus.* In veteri tabulâ, INDOVCEBAMVS. item: EDITO. COVRATOQVE. præterea, IOVSIT. &, IOVDICAVERVNT. ac plura. Quin & cùm breuis ea littera, reperio nihilo ſecius hanc ſcripturam. In lapide: SOVOM. MAREITOM. CORDE. DILEXIT. sovo. In Duillianâ columnâ, qui intentis oculis fugientes litteras adſpiciet (aliis neglectum) reperiet, NAVEBO S, litterâ vtrâque velut miſtâ. Vt non ſine cauſsâ prorſus Priſcianus ſcripſerit communiter: *V modò correptam, modò productam habemus, quamuis videatur* ου *diphthongi ſonum habere.* Confundit enim ecce ſonum illum, & tribuit vtrique: ex vſu aliquo vulgi tamen potiùs, quàm ex vero. Nam quin tenuior etiam illi fuerit, quis neget? Is autem reſpondit Y Græco. Ita Σύλλας, *Sulla:* δύο, *duo:* τύρβη, *turba:* φύγη, *fuga:* Ρώμυλος, *Romulus:* Τύλλιος, *Tullius:* Συρία, *Suria.* Chariſium obiter mihi corrige: *Gulam ait Iulius Modeſtus per V ſcribemus, non per Y, quæ Græcis vocibus neceſſaria eſt & ſæpe in V tranſit. vt inſuemur ait ignaro, inter ſe degularunt omnia.* ſcribe: *vt in Sue, Mure. Att. in Atreo: Inter ſe,* &c. Nam Sus & Mus à Græcis. Itaque per eam litteram inuêni FORVM SYARIVM in marmore ſculptum. Terentianus ad hanc rem:

Priſciani nõ cautiſſima ſcriptio.

V, exile, reſpondet Y, Græco.

Chariſius correctus.

Tertiam Romana lingua, quam vocant Y, non habet.
Huius in locum videtur V Latina ſubdita:
Quæ vicem nobis rependit interim vacantis Y:
Quando communem Latino reddit & Græco ſonum.

Nam eius ſententia, iſta. Y nihil opus Latinis: quoniam vnica V vtramque vicem & vocem ſubeat, ſoni craſſi, ſoni exilis. Nec plura dico de re minimè incertâ. Pronunciatur longa optimè hodie ab Italis, Hiſpanis, Germanis: breuis à Gallis, &

Maurus explicatus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

à vobis Belgis. Habes, Lipſi, duos ſonos primos & præcipuos: propiùs ſi intueare, quin duo alij ſint, non negabis. V enim O adſonat in iſtis, *Frundes*, *Fundus*, *Dederunt*, *Seruum*, *Maritum*, *Æternum:* quæque adſimilis formæ. & ideò priſcis ſæpe O hîc ſcriptum ſiue ſcalptum. LAVATIONEM. IN. PERPETVOM. DEDIT. legi: & alibi: AIRE. MOLTATI. COD. DEDERONT. item, SOVOM. MAREITOM: & centena alia. Quin paſſim, ab hac ſoni viciniâ, litteræ eæ commutarunt. *Epiſtula*, & *Epiſtola*: *Numenclator*, & *Nomenclator*: *Adoleſcens*, & *Aduleſcens* tibi nota: & obſeruaui magis noua, *Flouiom* pro Fluuium; *Detolerit*, pro Detulerit; *Aorelium*, pro Aurelium. Sed & alterum ſonum deprehendas, ad I accedentem: qui in iſtis, *Proxumus*, *Optumus*, *Lacrumæ*, *Manubiæ*, *Gula*. ideoque V ipſum pro I vſurpatum crebrò, præter legem & vſum, in lapidibus. vt STVPEND. pro ſtipendiis: STVPLAE, pro Stiplis ſiue Stipulis: item AVRVFEX. ET. INFELICISSVMA. Plura poſſem: tempero. Non enim ego ambitiosè loquax in iis quæ aut dicta iam, aut vulgo litteratorum non ignota.

Tertius ſonus V, velut O.

Quartus velut I.

CAPVT XI.

Ad Diphthongos ventum: Latinum iis nomen fidenter poſitum. Quot eæ, & in quibus enunciandis peccemus? AE quomodo efferenda? quomodo OE? Dio Caſſius emendatus. De EI obiter dictum: & quis ei ſonus?

IGITVR curſum verto aliò: &, Bigam iſtam, Miſſu altero, flectere incipio ad Biuocales. Ita indigeto, quas Græci Diphthongos: ſi nouiter, nunquid ineptè? Audeamus enim & nos aliquid: & per occaſionem fas ſit exhauſtum Latium augere diu optatâ ciue. *Eæ ex vocalibus binis conflatæ ſunt ſic, vt tranſeant in ſonum vnum, ſed in quo reliquiæ ſoni vtriuſque.* Latinis eæ quattuor: AE. OE. AV. EV. Duas ex iis vltimas rectè pronunciamus hodie: duas priores nec rectè. Nam cum E & quidem tenui, confundimus vtramque. O turduli, quî poteſt? Iugulo vos vno telo: quia fruſtrà quæſitæ aut repertæ diphthongi, ſi ſono à Vocalibus nil diuertunt. Terentianum ſaltem audite:

Diphthongi, ſiue Biuocales, quid, & quot?

Quatenus in iis efferendis peccetur?

Et id oſtenſum.

Et

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Et ſonos vtroſque iungit. vnde diphthongos eas
Græciæ dicunt magiſtri: quòd duæ iunctæ ſimul
Sillabam ſonant in vnam, viſque geminâ præditæ,
Semper effectum duorum temporum cuſtodiunt.

En, ait vtroſque ſonos iungi: ait vi geminâ eas præditas. At cùm *Phœbum, Phebum* dicitis: cùm *Muſæ, Muſe* effertis: vbi id appâret? Pipillones! digni quos pueri pipulo differant, in pertinaciâ ſi perſtatis. Sed tu Lipſi, vide, diſce. AE, antiquioribus paullùm AI ſcripta, ritu Græco. AIMILIA. & AIRA, & ſimilia occurrunt in monumentis. & cùm circiter Tullij Auſtiſque æuum exoleuiſſet, retrahere conatus Claudius Imp. publico etiam ſcito. Itaque lapides omnes illius æui eam habent. Sed obiit abiitque iterum cum illo. Sonus eius quis? idem qui Græcanicæ: quem benè adſtruxêre contra vulgus Checus Britannus & Mekerchus veſter, viri non è vulgo. In hoc tamen ſeorſum ab iis ſentio, quòd viſi mihi præter modum latas diphthongos facere, &, vt ſic dixerim, hiare nimis in ſonando. Subruſticè herclè efferunt, & vaſtè. At mihi certum, molliùs eas ſonuiſſe olim, nec vt A plenum aut E audires; ſed vt mixtum quemdam ſuauemque ſonum. Fallor, aut Galli aptiſſimè exprimunt & ſcribunt, in *Paix*, pax: *Fais*, onus: *Iamais*, numquam. Vos Belgæ item adſonatis (etſi aliter ſcribitis) *Peyſen*, cogitare: *Reyſen*, Iter facere: *Seyl*, Velum: & talia. Ita qui Latinis *Cæſar* eſt, veriſſimè vobis *Keyſer*. Supposuiſtis enim EI vel EII huic diphthongo. *Aiacem* igitur, *Maiam, Baias* ipſas: itemque, *Aulæ, Pictæ*, &c. non craſſiore illo A pronũciem: ſed attenuem magis, & pænè ad Eta flectam, dicamque, *Eeiacem, Meeiam, Beeias, Auleei*, &c. quod audis à me faciliùs, quàm vt ſcribam. Germanorum ritus hîc vſum & locum aliquem habeat, qui ad ſignificandum A illud tenue, E ſuperſcribunt. Lapides aliquid hîc me iuuant. Illud enim ſemel pono; indoctos fuiſſe qui eos ſcalpſerint, aurium ſenſum & ſoni veſtigium ſecutos, ſine Grammaticâ vllâ lege. At ij oſtendunt, ſonum hunc finitimum in parte fuiſſe E pinguiori. Hinc illa per errorem inſcalpta: EGRAEGIVS, pro Egregius: AEIVS, pro Eius: AEVOCATVS: & VTRIVSQVAE: & quod magis rideas, VENAERI, & FVNAERI, pro Veneri, Funeri.

Ae, olim Ai ſcripta.

Eius legitimus ſonus.

Qui confuſus & tẽperatus ex vtraque vocali.

A lapidibus argumentum aliquod petitum.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

neri. Quî peccatum hoc peccassent illi bardi, si hians ille & pinguis sonus Diphthongo? cui ad E adsessio aut accessio nulla. Sed hoc à vulgo, inquies: qui vt E pronunciant. Nihil. medium enim illum sonum æquiter euincit: pugnax ille qui torqueat ad extremum. Nec plura addo. Sensuum enim magis res, quàm rationum. & verè hîc valet illud Quinctiliani: *Non esse cuiusuis auris exigere litterarum sonos, non berclè magis quam neruorum.*

Difficilè hi soni scripto exprimũtur.

Iam OE diphthongus olim item scripta * OI. Sic *Oinonem*, pro Oenone Capella ingerit: sic *Oitier* pro Vtier Victorinus notat. Et in vetustissimo Sc. de Tiburtinis legi: NEQVE. ID. VOBEIS. NEQVE. REI. POPLICAE. VOSTRAE. OITILE. ESSE. Sed alia scriptio eualuit, ista euanuit. Sonum eius verum (verum mihi fas dicere) non vidi, qui viderit. Nam qui Græcæ linguæ Pronunciationem instaurarunt, crassè pleneque eam sonare volunt, vt Gallorum, *Moy, Toy, Soy*. Non mihi probant viri probissimi. primùm quia nimis expressus ille sonus, qui ex Diphthongorum ingenio debeat esse confusus. Deinde, quia non exprimat eum vllo modo aut assequatur OE Latinum. Quomodo enim ex O & E platyasmum illum elicias? Tertiò & auctores mihi, qui alia suadent. Victorinus Afer hanc Diphthongum cum Y Græco æquiparat disertè, in Arte suâ Grammaticâ: *Litteræ peregrinæ sunt*, inquit, *Z, & Y. quæ propter Græca quædam assumptæ sunt, vt Hylas, Zephyrus. quæ si non essent, Hoelas & Dsephurus diceremus.* Attende, tecum quæso. *Hylas*, inquit, scriberetur *Hoelas*. At quæ adfinitas hîc sonorum, si verò adfines illi? Nam Y Græcum, respondet planè V tenui Latino: quod & ipsi fatentur, & litteratores prisci adfirmant vno ore. An fallit nos fortè ille Afer? nihil hac in parte: cùm testimonium ab eo dicat casta & casca illa omnis ætas. Nam prisci velut promiscuè scripsêre, *Oisum, Oesum, Vsum*: *Poenos, Punos*: *Coirauit, Coerauit, curauit*: *Moenera, munera*: *Moeros, muros*: *Moinicipium, municipium*. quid, nisi tantum non vociferantes paritatem inter ea soni? Intorqueo & pilum è scriptore Græco, firmum, validum, & Triarij manu dignum. Scribit in Nerone Dio, Principem illum duos Sulpicios vitâ imminuisse, quia visi imminuere scænicam

* Cui prorsus par. Ita *Ab oloes. & pilumnoe poploe.* Festus notat: ad ritum scilicet Græcum.

Sonus oe diphthongi quæsitus.

Non illum videri, qui prapinguis.

Victorini notabilis locus.

Prisci commutarũs semper oe & u.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

cam eius laudem. Visi autem minuere solo nomine: ὅτι, inquit, Πυθικοὶ ἐκ προγόνων ὀνομαζόμενοι, οὐκ ἐπαύσαντο τὸ πρόσημα τοῦτ' ἔχοντες, ἀλλ' ἐς τὰς τοῦ Νέρωνος νίκας τὰς Πυθικὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἠσέβουν. id est: *quòd ab antiquo aque maioribus Pythici cognominati, non desinerent eius cognominis: sed palàm in Neronis Pythicas victorias impij essent, nominis viciniâ.* Quid iuuat me hic locus? nimium: si ego priùs illum. Adfirmo enim emendandum, ὅτι Ποιτικοὶ. id est, *Poetici.* Nam hoc liquens, clarum, Sulpiciæ genti Pythicum agnomen adhæsisse numquam. *Poetici* illi dicti: & Fasti, scriptoresque historiæ mihi testes locis viginti. Quod si est: vide nunc, quomodo indignari citharœdus Princeps potuerit, quasi in pariante cognomine, si Pronunciatio illa olim? Nam litteris certè abludit. Sono igitur ad Pythicum siue Puthicum (ita efferebant) accessit: & quod ex his concludo aptè, OI siue OE, diphthongus haud dissonuit V leni. Quis igitur ille sonor? mixtus. quem apud Gallos meos habes in diphthongo istac ipsâ. Illorum enim est, *Coeur*, pro corde: *Voeu* pro Voto: *Noeud*, pro Nodo. Et fásne mihi etiam vestra tangere? si pecco, ne ride. Ita & vos Belgæ sonatis, *Oelsaet*, papauer: *Moelen*, molam: & quæ tibi plus nota. Hæc sententia mea, noua potiùs quàm improba, apud mentes & aures probas. Certè non crassum istum ei & vastum effatum fuisse, quem cùm audio (ignoscant mihi viri docti, & quibus litteræ æternùm debent) vix lienem comprimo: docent etiam nonnulli lapides, in quibus pro E, perperàm substituta. VT CROETA. PROVINCIA, pro Creta. Tu Lipsi, nunquid mutas, aut etiam nutas? an transeo iam ad consonantes? Alacer ego, Nihil nihil, inquam. bono argumentorum pondere (vt hæc quidem res fert) me firmas. Consonantes tamen mihi protolle, & de Biuocali EI, nodum priùs tolle. Ille cum risu, Græculi viderint, inquit: non ea in Latiari classe. Nam eius loco I nobis longum esse Grammatici te docuerint, & ego suprà. Sed enim mi Murete, inquam, in sono eius germano etiam hæreo. Nam Nigidius nihil differre illam Græcanicam ab ἰῶτα simplici voluit: & Græcos irridet, qui discreuêre. Quod si est: ruunt quæcumque de Biuocalium sono sonuisti. Par enim omnium ratio. Eludens Muretus, Imò tuum fulcrum ruit, in-

A Dione argumentum pugnax.

Is primùm correctus.

Oe. Galli rectè efferunt.

EI cur Latinis nõ in censu diphthongorum.

Obiectio iam dicta à Nigidio.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

*tenuitas. quit, quo ſtabilita à te vulgi hæc * ἰσχνότης. Non enim ea mens Nigidianis verbis, quæ, ſi lubet, audi: *Græcos non tantæ inſcitiæ arceſſo, qui ου exo & y ſcripſerunt, quantæ qui ει ex ε & ι. Illud enim inopiâ fecerunt; hoc, nullâ neceſſitate ſubacti.* Hoc ſaltem vult litteratiſſimus ille litterator: Græcos iuſtè repperiſſe ει diphthongum, quia non illis V Latinum, quod exprimeret hunc craſſum ſonum. non iuſtè eoſdem idem in ει feciſſe, quia ι ſubire vtramque vicem potuiſſet longæ aut breuis. Ne autem, Lipſi, erres: I longum (dictum etiam mihi anteà) incidit in ſonum prorſus EI. Quis igitur ille? me arbitro, qui vobis Belgis in * *My, Ghy, Sy.* Imò illud primum planè Latinum *Mî* eſt, & ſignificatu & priſco ſono. Soli enim pænè vos Europæorum duplex illud II. rectè ſcribitis, rectè effertis, nec aliter *Oueis, Omneis, Preimos*, Latini. Minus accedunt iidem illi pronunciandi Magiſtri hodie, qui Gallico *Sein, Feint, Plein, Sinu, Fiƈto, Pleno*, æquiparant. Nam ſcriptura quidem iſta ipſa: ſed effatio magis Ae accedit. Et vereor herclè vt idem hîc peccent, quod priſcus ille Cotta: quem *Iota litteram tollendo, & E pleniſſimum pronunciando, non oratores antiquos ſed meſſores imitari,* Craſſus apud Ciceronem locatur. Vocem à me, Lipſi, de Biuocalibus ne vltrà exſpecta. Tu Nigidi habe etiam iſtam: Qui Græcos imperitiæ arceſſis, cur non in culpâ ſimili tuos Opicos? Nam illos EI pro I longâ paſſim ſcripſiſſe, an neſcis, aut diſſimulas? Si illud, parum doctus: ſi iſtud, parum bonus.

*Remota ea, & vera mẽs Nigidïjeruta

*Quis ſonor in EI & I longâ.

*Germani benè etiam, qui *Mein* &c. ſic ſcribunt, ſic efferunt.

*Ciceroni facta lux.

CAPVT XII.

Ad Conſonantes ventum. de vicinis inter ſe, quoque Capite dictum. iſto, de B. V. P. F. Quid in Be efferendâ, & à quibus gentibus peccetur? an defendi poſſint? Dubitatum de ſono V Digammæ, & pluſcula ad eas argutias. De F germano ſono. A Scaligero abimus & Fabio. Auſonio lucem damus, & medicinam Chariſio.

*Conſonantes, quæ adſonãt, inter ſe iuncta.

CONSONANTIVM æquor nunc inſiſtam, tertio iſto velut Miſſu. ſed verè æquor. Planiciem enim meram video, ſine ſalebris, ac pænè ſine cliuo. Pleraſque eas, plerique omnes, rectè & germaniter pronunciamus: & ſiquas malè,

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

malè, nec vitium nec emendatio eius obscura. Vulgatas hîc distinctiones non sequor, Mutarum aut Semiuocalium. Per se enim frigidæ, & ad meam rem ineptæ. Potiùs, vt aurigæ equos in curribus per colorum quædam paria disponunt: sic ego consonantes iugabo, ex viciniâ quadam sonorum. Quadriga mihi prima hæc:

B. V. P. F.

De primâ Ausonius:

Diuiduum Betæ monosyllabon, Italicum B.

Ideò Diuiduum: quia mediâ illius & primâ parte effertur *Be*. Nam cùm habeant hoc consonantes, vt solitariæ sonum non efficiant, luctenturque, vt sic dicam, intra claustra oris: subueniendum adiunctâ Vocali est, quæ velut obstetrix edûcat. Sed Græci aut Hebræi pluribus id fecere: compendio magis nostri, qui vnam omnibus litteram dedêrũt & eamdem. E enim præposita in effatu auditur, aut subiuncta. Præposita in istis, EF, EL, EM, EN, ER, ES. Subiuncta his: BE, CE, DE, GE, PE, TE. Nam HA, nec littera quidem est: QV, & KA, superuacuæ: IX, Y, Z, Græcæ, & Græcâ ideò nomenclaturâ. nisi quòd XI illorum, nos IX fecimus litteræ translatione. Sed vt de argumento meo propriè: B, sonum habet medium inter P, & F. Exprimitur, *labiis cum celeri quodam impetu reclusis*. Benè Europæi plerique hodie. excipio Germanos qui indurant, & ad P deflectunt, cùm gaudent *Pono suo Vino*. Et Hispanos itemque Vascones, qui emolliunt & ad V digamma torquent, homines sobrij & quibus non placet *Bibere* sed *Viuere*. Nec miror. crebrum enim nimis, vt litteræ inter se vicinæ migrent & alternent. Quod pro Germanis fit: P, pro B, frequentarunt prisci: & est in loco eius sonus. Quinctilianus fatetur, *Cùm dico* OBTINVIT, *secundam B litteram rationem poscere, aures magis audire P*. Et sanè auribus paruerunt plerique olim scriptores aut sculptores. Sic in Tabulis antiquissimis Fuluianis: APSOLVTVS ESTO, leges: item, QVEICVMQVE. VOLET. SVPSIGNET: & in lapidibus vulgò, APSENS: OPSIDES: PLEPS: POPLICVS: ac talia. Festus etiam siue Verrius, qui *Brassicam à præsecando* deriuat, quomodo nõ durus, nisi adspectu ad duriorem hunc sonum? Benè igitur Terentius Scaurus: *B cum P consentit, quoniam*

Ea sola sonũ non habent.

Latini adiuuant per E adiunctam.

Quod fallit in superuacuis litteris, aut Græcis.

B, quî efferenda?

Peccant Germani & Hispani, diuerso limite.

Germaniiuuantur nonnihil à priscis.

Quis P pro B crebrum.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

niam origo eorum non ſine labore coniunctióve reuelli à quoquam poteſt. Græci πυῤῥίαν, *noſtri Burrhiam: & quem Pyrrhum, antiqui noſtri Byrrum: Balatium, Palatium. Item Poplicolam, Boblicolam alij: Scapillum, alij Scabillum dicunt.* Nec diſſimile quod * Plutarcho notatum, Delphenſes B pro Π, vſitatos eſſe: quorum fuit βατεῖν & βικρὸν, pro πατεῖν & πικρὸν. Iam de Hiſpanis quid, Lipſi, excuſem? benè, ſi non accuſent ipſi vltrò. Ita multi errori eorum ſuffragatores, Grammatici, lapides, libri. me iudice, tamen errori, ſed priſco. Ecce * Adamantius Martyr iam olim librum integrum hoc titulo & argumento ſcripſit, *De V & B litteris.* quæ voces ſcilicet hanc aut illam reciperent; quaſi in breui diſcrimine, & quod confunderet ſæpe vulgus. Quamquam ille non vſquequaque * ἀδαμάντιος mihi μάρτυρ. Miſcet enim è ſcholico ſuo puluere: & ſcribes, inquit, *Beſicam, Nebum, Baluas* pro foribus ædium, *Bernam*, pro eoqui ſeruo natus: non Veſicam, Neuum, Valuas, Vernam. Item *Manuuias*, non Manubias: ab Ambio, *Ambíbi* non Ambiui: apud Perſium — *baluâ de nare*, non balbâ: & argutiarum eiuſmodi dapes, haud ſatis ad meum guſtum. At lapides, vide quàm hîc Hiſpani. DANVVIVS: VASE: VENEMERENTI: PLACAVILE: ſculptum in iis clarè vidi, pro Danubius, Baſe, &c. Contrà etiam, VIBA: CIBICA: VNIBERSVS: ATABIS: SIBE: PROBINCIA: ALBEI: CABATORES. pro, Viua, Ciuica, Vniuerſus, Atauis, Siue, &c. Et tu, Lipſi, inter luſtrandum, vel aliud agens hæc obſeruabis. Iam libros veteres ſi vidiſti, nónne in iis aſſiduum hunc errorem? Piget exempla adferre. Pandectas ſaltem Florentinas (quarum ætatem pauci libri ſcripti æquauerint) inſpice: & videbis in ſingulis paginis peccatum hoc, non peccatum. Cur enim verè peccatum dixerim, quod peccabant tam vulgò? quin mores iam id, non culpa. Cùm pauſam hîc aliquam faceret, ego interpellare ſuſtinui ridens, Hem! vt acriter tu, inquam, pro pugnace gente pugnas? Et iámne è Gallo Iberus? Arriſit & ille. Quídni? inquit. Placet Plautinum illud

Vtcumque in alto eſt ventus, exin velum vortitur.

Et nónne cauſſa mihi, cur non amem meos Gallos? Sed ſuſpiro, & ſileo: nos, Lipſi, hoc agamus. Crebram igitur commutationem

In Quæſtionibus Græcis.

Ab Hiſpanis, qui V pro B vſurpant.

* Cuius Excerpta in Caſſiodori Orthographiâ.

* *firmus teſtis. Adamantij ineptia.*

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

tationem litterarum harum vides. quæ occasio? adfinitas. quæ nunc quoque magna: & olim, nisi fallor, maior. Non enim celabo te meum sensum: quem vulgus hic fortasse rideat, tu & probi probent. Litteram V cùm pro consonante est, paullò aliter sonuisse censeo, quàm nos illam. Nunc enim vt Finfirmum & elumbe proferimus: at prisci molliùs, & minùs impressè, quasi VV duplex. Quod dico, tale est. *Vinum, Vallum, Seruum*, ita dicimus, quasi esset *Finum, Fallum, Serfum*. Reipsâ enim F audimus, sed fractum & imminutum. At ego existimem pronunciasse eos, W*inum*, W*allum*, *Ser*W*m*. ita inquam, vt V illud consonans siue Digamma sonum mollem & velut suspensum habuerit, qualis est in *Quare, Quis, Quando*. Ego hac inopinatâ sententiâ percussus, Quid profers? inquam. persuasurus hoc speras? Si Rationem audis & Veritatem, inquit, spero: si vulgus & opinionem, despero. Sed argumenta huic rei audi. Nemo veterum V, cùm Digamma aut potiùs pro Digamma est (non enim verba hîc captabis) duplicem ei affinxit sonum: Digamma autem in *Anguis, Quando, Suauis, Aqua*, & talibus est. habet igitur eumdem illum etiam in aliis verbis sonum: id est, natantem hunc & mollicellum. Item: Pro adspiratione veteribus Digamma fuit, vt *Ϝircus, Ϝædus, Ϝelena*, pro *Hircus, Hædus, Helena* (Grammatici omnes testes.) at vulgata hæc expressio ad adspirationem siue halitum non accedit,* accedit mea nouicia. vera ista igitur. Tertiò: Græci cùm *Varum, Valerium, Veliam, Octauium*, & has formas scribunt; ϝάρον, ϝαλέριον, ϝέλιαν, ὀκταϝίϊον scribunt, proximè sonum illum meum exprimentes. sonum ergo hunc veterem iure censeo. Ni esset: cur non φάρον potiùs, & φαλέριον? quod durius quàm Latinum illud fateor: sed propiùs tamen ad *Vi* vulgatam vocem. Nam quod interdum Beta his talibus addunt, Βαλῆρε, pro *Valêre*, &c. hoc quoque à me est. quia cùm Digammæ illius verum sonum haberent nulli,* inopiâ coacti ad quemuis potiùs quàm ad φ decurrerunt, à quo maximè scilicet abesset. Quartò: Tritum illud omen quod Crasso naues conscendenti factum, vanum & longinquum est, si efferas more vulgi. Venditabat quispiam in portu, inquiunt, caricas Cauno aduectas, & clamabat idemtidem *Cauneas*. hoc allude-

De sono V cõsonantis nouicia nostra sententia.

Ea firmata quinque argumentis.

* Nam *Helena* & *VVelena*, pariter valdè sonant: & est in Digammâ manifestus flatus.

* Vide Notas in fine Capitis.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

alludere & valere volunt, *Caue ne eas*. nónne ridiculè, nisi efferas meo isto more? Quintò: Verba pleraque à Latinis integra sumpta exteri enunciant hoc sono,* *Vinum*, *Vallum*, *Vicum*, *Vannum*, *Ve*, & infinita alia. pariter Latini *Batavvos*, *Wandalos*, & exterorum talia, scribunt per hoc Digamma. par pronunciatio vtrobique igitur. Et versus ad me, Quid ad hæc Lipsius? persuasi? Ego moto leuiter capite, Illud vetus Murete, inquam: Cras credo, hodie nihil. Quî possim tam noua? quin totam Pronunciationem nostram non conuertis hac viâ, sed euertis. Tu autem ipse, per fidem, seriò ita sentis? Ille ridens, Si probas, sentio, inquit: sin aliter, ludo. & pomum hoc velut Eridos iecerim in magistellorum cohortem. Illi turbent, nos pergamus.

* Germani & Belgæ, *Wijn*, *Wall*, *Wijck*, *Wan* *Wee*.

Littera P enunciatio.

De P litterâ nihil dico. plana res: nec vidi qui in efferendo peccaret. Assidet B litteræ: nisi *quòd validiùs exprimitur, labiis cum spiritu adductis pariter & diductis*.

Littera F sonus.

F in loco quarto. cuius sonum princeps Grammaticus (ita sentio) efformat Maurus:

Imum superis dentibus apprimens labellum
Spiramine leni (velut hirta Graia, vites)
Hanc ore sonabis.

Et, qui à Mauro mutuatus, Victorinus: *F, litteram imum labium supremis imprimentes dentibus, reflexâ ad palati fastigium linguâ, leni spiramine proferemus*. Efferenda igitur leni quodam spiritu (vterque ita suadet) nec tam hirtè & asperè quàm φ illa Graia.

In quo abimus à Scaligero.

Iulio enim Scaligero hîc quî credam? validiùs sonare, quàm Græcam vult: quæ mollior est, & vt eius verbis vtar, *dilutiore sono*. Erratipse, aut mei illi. An Fabius dux ei in hanc mentem? malè. Dicere tale aliquid videtur, non dicit. Nam conuicium eius (ita verè appellem, non iudicium) de hac litterâ istud: *Illa quæ sexta est nostrarum, pænè non humanâ voce, vel omnino non voce potiùs, inter discrimina dentium efflanda est: quæ etiam cùm vocalem proximam accepit, quassa quodammodo; vtique quoties aliquam consonantium frangit, multo fit horridior*. Non enim hoc ponit valentiùs sonare quàm Græcam, sed inamœniùs. nec tamen idipsum cur ponat, satis scio: nisi quia illam aspiratio fortasse mitigat, quæ reuera vegetatio quædam & velut anima

Fabius iniquus in hanc litteram.

litteræ-

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

litterarum. Hâc destituta nostra, grauior quodammodo fit & tristior. Sanè quin dis rimen inter vtramque sit, non negandum: etsi neglegi id video à nostro vulgo. Cicero auctor clarè, in eâ pro Fundanio: vbi testem Græcúm irrisit, *quòd primam eius nominis litteram dicere non posset*. Et cur non potuit? Aspirauit videlicet, & P illud insitum magis expressit, ritu suæ gentis. Itaque dupliciter peccans, sic pronunciauit, quasi si esset *Pfhundanius*. Hoc ridet Catoni ridiculus ille consul. Quę dico, Priscianus allaudat: cùm ait *F Latinam ferè similem φ Græcorum*. Ferè, ait. cur? quia (hoc enim pòst addit) *non fixis ea labiis pronuncianda, vt P & H*. Optimè. Experire enim: figuntur tibi labiæ & presslim cum nisu clauduntur, cùm illud φ exprimis, seruatâ vi P litteræ, & adspiratione non neglectâ. Aliter in Latinâ est: me audi. Græcæ illius sonum ostendit, & in eo lusit Ausonius, obscæno & obscuro Carmine in Eunum:

Discrimẽ inter Φ & F.

Ausonio illata lux.

Cui ipse linguam cùm dedit suam, Λεῦ:
Veramque in illis esse φ notam sentit.

Vult enim indicatum putorem & sentinam turpissimæ illius partis: quam cùm liguritor ille attigisset, meritò φ illud pronunciabat, quod solemus in odore tetro. Apud Plautum senex, cùm Pseudolus ei in os irructasset: *Phu, in malam crucem*. ita leges. In Charisio pessimè scriptum de Interiectione: *Fafæ, vt cùm putoris aliquid perhorrescimus, quæ vox nunquid Ægyptium pathos ducit?* Repone, *Fu, fu, cùm putoris*, &c. Et vsurpant hodie in abhorrendo pleræque hominum gentes. Sed de F litterâ: abit ea quidem à B longiusculè: altera pro alterâ tamen scripta olim & dicta. *Bruges* pro *Frugibus* apud Ennium Cicero & Fabius agnoscunt: *Sifilum* & *Sifilare* pro Sibilo Nonius: & Macedones Βίλιππον pro Φίλιππον, Βαλανρὸν, pro Φαλανρὸν dixêre, auctore* alibi Plutarcho. Quin legi imò, in simplicissimæ antiquitatis Sc^to de Tyburtineis: DE. EEIS. REBVS. AF. VOBEIS. PECCATVM. NON. ESSE. Quadriga hæc peregit suum cursum.

Phi, vel Phu, in tetro odore.

Correctus Charisius.

F loco B scripta.

In Quæst. Græcis.

NOTÆ.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

NOTÆ.

NEGAVI Græcos litteram habuisse, quâ exprimerent V digammon. Et verè: quia perierat illa Æolica, nõ minùs quàm apud nos Claudiana. Quinctiliani dictum sic capiendum lib. x. cap. xii. *Ipsæ etiam vocales duæ efficiunt sonum, qualis apud Græcos nullus est, ideoq; scribi illorum litteris non potest.* De veris Vocalibus accipis? erras. nullæ enim nobis tales, quas non assequatur & signet diserta illa Hellas. Duas intellegit, I & V cùm transeunt in Consonantes. Nam nec hunc quidem sonum qui est in *Iugurtha, Iuba*, & talibus exprimunt Græci: quibus Iota numquam coäalescit. At de V. clarum quàm sudent.

Quinctiliani verus intellectus.

Græcis V & I consonantes ignota.

Diducere ad finem Capitis tenuia hæc nolui: si aues Lector, cape hæc pauca. Digammos à figurâ dicta, non à * sono. Picta enim vt Ⅎ inuersum, id est Gamma Gammæ superpostum. Claudiani imperij lapides (nam eo Principe noua littera in gratiâ & in vsu) referunt, DIⅎAI, AVGVSTAI. & AMPLIAⅎIT. TERMINAⅎITQVE. ac plura, quæ legi & descripsi Romæ olim. Grammatici aliquot veteres de nouicio hoc, quem inieci, sono, in me pugnaturire videntur. falsò: quia falsa in iis verba. Terentius Scaurus ait: *hanc litteram V consonantis vice fungi, & poni pro eâ quæ sit F.* Si pro F, quomodo stat illa mea elatio? Sed scripsit ille disertè, *quæ sit Ⅎ.* Corrupta ab ignaris est nota. Vt in Annæi Cornuti istis: *Est quædam littera in F litteræ* (verte Ⅎ) *speciem formata quæ Digamma nominatur. Ad huius similitudinem soni, nostri coniunctas vocales Digammon appellare voluerunt: vt est, Votum, Virgo. itaque in primâ syllabâ digammon & vocalem oportuit poni, Fotum, Firgo*: (eadem corruptio, rescribe) *quod & Aeolij fecerunt & antiqui nostri, sicut in quibusdam libellis scriptura declarat. Hanc litteram Terentius Varro dum vult demõstrare, ita perscribit V A. Qui ergo in hac syllabâ sonus est, idem litteræ erit.* Adscripsi locum, quia me aliquâ iuuat. Ait Varronem, magistrum illum magnum, ad sonum exprimendum scripsisse *V A*. hoc falsum. Vnde enim ego nunc scitior, *Va*, an *Vi*, an *Ve* scripserit? sed corrigo *V V A*, geminatâ litterâ: siue mauis V V A V, ex Victorino. Ille enim sic: *Aeolius F.* (corrige, vt suprà) *idem valet quod apud nos V, cùm pro consonante scribitur, vocaturq; βαυ & Digamma.* Ambigas an non ille voluerit scribere & exprimere, βαῦ. Scaurus nos iuuat, qui disertè *V consonantis loco poni, id est pro Va, in Quis & Qualis*, adfirmat. Atqui *Wa* hîc audis, non *Va*. Quinctilianus de eâdem: *Antiqui Ⅎædum Ⅎædúsque*, (ita scribo) *pro aspiratione Vau simili litterâ vtentes.* Priscianus idem: *Digamma, id est Vau, ab ipsius voce profectum teste Varrone & Didymo.* De sono Terentianus aliquid,

Digamma quid, & cur dicta?

* Quanquã & in parte inclusus ille. Nã sæpe vbi W duplex, G scriptum reperies: vt *Wilhelmus, Guilhelmus: Waltherus, Gualtherus.*

Obiectiuncula aliquot remota.

Correcti Grammatici pluries.

Vau, sonus.

Vt Vade, Veni, Vota refer, teneto Vultum:
Creuisse sonum perspicis, & coïsse crassum.

sed

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

ſed ambiguè. vti reuera etiam ego ambigo: & diſſerta hæc à me, non aſſerta. Illud mearum aurium iudicium non celo: ſuauiorem litteram hâc duplici natam non videri, poſt litteras natas.

CAPVT XIII.

De C. K. Q. G. vicinis litteris. Refutati qui primæ ſonum duplicem adfingunt. In K litterâ Auſonius illuſtratus. idem iterum in Q. & correctus. In C Feſtus emendatus. Singulæ hæ litteræ, quando natæ. quid conueniant, quid diſcrepent? & plura Grammatici pulueris.

IVNGO quadrigam alteram. quam trahent mihi equi non concolores ſolùm, ſed gemelli, imò iidem. C. K. Q. G. iis nomina. quos à vi, aut ſoni indole, quî diſcrimines? ægrè poſſis ex mente veterum: qui adeò eaſdem cenſuerunt, vt vnam vice omnium diu ſint vſi. C ſola iis locum munusque aliarum trium tenuit: donec natæ inuectæque illæ, vix ob neceſſitatem, ſed ornatum. Videbo tamen ſingulas, & ſiquid in aliquâ eximium, dicam. *C littera uetus.*

C prima & vetuſtiſſima eſt. quam in locum Kappa Græcanici veniſſe non eſt dubium: in locum, ſed & in ſonum. Planè pleneque vt K elata ſemper: Nec aſſertione res egebat. quis enim Grammaticorum aliter vnquam tradidit? niſi quòd hodie prauus & pertinax in eo error inoleuit. Duplicem ei ſonum dedimus: alterum vt debuimus, alterum vt voluimus. Et cùm à vocalibus quidem A. O. V. aut diphthongo *Au* excipitur, ſuum ei relinquimus & priſcum ſonum. efferimus enim *Caput*, *Corpus*, *Cubitum*, *Caudam*. cùm ab E. I. Y. Æ. OE; nouum ei damus & ante-æuo inauditum. Enunciamus enim cum craſſo & moleſto quodam * ſibilo, *Ceram*, *Cippum*, *Cyrum*, *Cænam*, *Cœnum*: effatu, quem littera nulla habet, nulla habuit. Ad Z aut S accedere videtur, non attingit. Quæ hæc peruerſitas? quis auctor? apex non eſt in veterum ſcriptis qui ſtabiliat: & mos ille tantùm à malâ quâdam libidine peccandi. Omitto Grammaticos omnes, qui C cum Kappa æquiparant clarè: ratio ipſa, quàm repugnat? *Capio* rectè effers: *cepi* ab eo, cur aliter? cur *Incipio*? *Eccum* & *Eccam* audio: *Ecce* producis in aliâ ſoni *Eius ſonus, geminus, vt K.*

Nos corrumpimus.

Nec ambige, quin iſti ſibili à Barbaris ſint. Refutatus is error, ſiue contumacia.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

veſte. A *Caſto Inceſtum* formari, quî vox tua me doceat? & multa alia, quæ labem & ambiguitatum agmen inuexêre in Latinam linguam. *Silicem* aut *Cilicem*, ex enunciatu noſtro aures non diſcernant: non *Cyrum aut Syrum*: *Sepio* aut *Cæpio*: *Cellam*, aut *Sellam*: *Seruum*, aut *Ceruum*: *Diſcere*, aut *Diſſere*: & quæ millena. Pudet non tam erroris, quàm pertinaciæ. quia corripi patiuntur, at non corrigi; & tenent omnes, quod defendat nemo. Itali, Hiſpani, Germani, Galli, Britanni in hoc peccato: à quâ gente initium emendandi? Audeat enim mihi vna aliqua, & omnes audient. Sed de C ſatis. cui verum pronunciatum dabis, ſi efferes *adductâ leuiter palatum verſus linguâ, eiuſdemque ad dentes, cum ſpiritu aliquo, appulſu*. An & hoc addo? cùm S eam præcedit, malè exprimi hodie: efferendam autem velut Sk: hoc modo, *Skamnum, Skena*, &c. quæ nobis ſunt, *Schamnum, Schena*.

Sc, quî efferendum?

K litteraſuperfluens.

Sequitur K littera. quæ Græcanica mera eſt, & in Latium vênit non ob vſum, ſed ob luxum. Verè enim ſuperfluit: & ſaniorum litteratorum nemo id negauit. Nam quòd nonnulli vſum & locum ei faciunt, quoties A excipit: vt in *Kaput*, *Karina*, *Karthago*, ac ſimilibus: nouitia ea regula, ſed & falſa. Fateor ſæpe locum ante A habere, imò vix alibi: atque ita in lapidibus lego, KARVS. KASTITAS. PARKARVM. PALIKANVS. EVOKATVS. DEDIKAVERVNT. ſed ſæpius aliter, & firma non ei ſedes, niſi in notis. Quinctiliani iſta mens: K *quidem in nullis verbis vtendum puto, niſi quæ ſignificat etiam vt ſola ponatur*. Terentiani eadem:

Vſus tamen eius, vt volunt ante A.

Et ad notandum.

> K *ſimiliter otioſa ceteris ſermonibus,*
> *Tunc in vſu eſt cùm Kalendas annotamus aut Kaput,*
> *Sæpe Kæſones notabant hac vetuſti litterâ.*

Vult K ſolitarium tribus vocibus notam eſſe, Kalendis, Kapiti (in legibus Capita ita notabant,) & prænomini Fabiorum. Capella item in triplici ſaltem nomine locum dat; ſed pro Kæſonibus, Kalumniam ſupponit. K *nunc nota eſſe putatur, nunc littera. nam eius effectus C integrare non dubium eſt: abſque his Kapita, Kalendæ, Kalumniæ*. Vbi neſcio an veriùs legeris, *non littera*. Quia igitur ex plurium vſu ſedes ei in trinâ tantùm ſede, Auſonius ſcripſit:

Auſonius illuſtratus.

Hæc

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Hæc tribus in Latio tantùm addita nominibus K.

Ita enim lego & clarifico versum, in quo interpretes caligant. Quando nata hæc littera, haud liquidò scio. vix opiner ante bella Punica, sed nec diu post illa: quia in Sc^to de Tyburtinis reperio SVB. AEDE. KASTORVS. Isidorus ad Sallustium quemdam refert: *K litteram*, inquit, *Sallustius Ludimagister posteà Latinis adiecit, vt in sono discrimen duarum litterarum faceret, C & Q.* Ad discrimen autem duarum aliarum repertam vult. quod illud? cedò Isidore, si potes: & hilum si inuenis, nihili homo ego. Sed credo, iamtunc tuo æuo obtinuit, barbara hæc in C pronunciatio, quam dixi & refutaui. Tu Priscianum mihi audi: *K & Q, quamuis figurâ & nomine videantur aliquam habere cum C differentiam: tamen eamdem, tam in sono vocum quàm in metro, continent potestatem.* Et Terentianum:

Quando nata K.

Isidori alucinatio.

Refert nihil K prior sit, an Q, an C.

Ad Q venio. quæ ipsa reuera non tam interest litteris, quàm supersit. Cur enim C non satis ad eius vices? Fuit olim: sed visum hanc addere, quoties V sequeretur (neque aliter) ad efficiendum pinguiorem illum sonum. Sed dicant, cur in G non idem factum? Aliter enim paullò & illa sonat in *Anguis*, quàm in *Angis*. sed non hoc litterarum naturâ fit, verùm vocalium à quibus exceptæ & quibus mistæ. Capella: *Q quidam litteram non putabant: & vincerent, nisi in Equo & Equitatu apparêret expreßè. Constat autem ex C & V.* Ausonius eam componi vult ex duplici C, recto & inuerso. Eam enim ego mentem obscuri versus illius censeo, quem non vidi qui explicaret, imò qui legeret rectè:

Q litteram videri superare.

Ausonio lux & correctio.

Prævaluit postquam Gammæ vice functa priùs C.
Atque alium pro se titulo replicata dedit Q.

Lego, *titulum*. C, inquit, replicata & conuersa nouum pro se titulum siue indicem litteræ dedit Q. Inspice enim. ex duplici C, recto & inuerso, illud Q aptissimè compinges. Possis & legere, *Atque aliam pro se titulo*. Hæc est illa littera, quam magister Fabius duritiei damnat: *Duras & illa syllabas facit*, inquiens, *quæ ad coniungendas demum subiectas sibi vocales est vtilis, alias superuacua: vt Equos ac Æquum scribimus.*

Q dura littera.

G quartam posui. quæ ipsa, * vi & sono à C quantulum abit?

* Imò vix formâ. Apex saltem, vt Maurus notat, ad cornu C infrà additus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

C & G vicina.

abit? Ne miremur priſcos diu hanc vſitatos, pro illâ. *Acnâ, Lece, Acro Cabino*: pro *Agnâ, Lege, Agro Gabino*, Victorinus notauit. & in tabulis Iudiciariis egoipſe legi, QVI. IOVDICARE. NECARINT, pro *Negarint*. Et Grammatici teſtantur hoc vulgò. Feſtum emendari hac occaſione cenſeam: *Camelis virginibus ſupplicare nupturæ ſolitæ erant*: & ſcribi, *Camelis virgines ſupplicare.* Nam intellegit *Gamelios deos*, priſcâ hac ratione per C ſcribendi: quos virgines & puros ad rem nuptialem aduocare ſanè ſtultum. Terentius Scaurus: *C cognationem cum G habet. & ideò alij dicunt Gaunacem, alij Caunacem: item Camelum, Gamelum.*

Feſtus correctus.

Bello Punico primo G non nata.

Hanc ſcripturam retentam arbitror ad bella Punica: argumento nec infirmo nec infido, quòd in illâ Duillij Columnâ ſola C nôta. Ibi enim LECION. MACESTRATOS. PVCNANDOD. pro Legion, Magiſtratus, Pugnando, & non ſimplici archaïſmo, EXFOCIONT pro Effugiunt, ſculpta. Atque hoc eſt quod Auſonius ſcripſit, — *Gammæ vice functa priùs C.* Nam * Feſtus quod obniti videatur; *Quæ nunc C appellatur, ab antiquis G vocabatur*: nihil eſt. fallit ſcriptura, & non ille: quam dirige, *Quæ nunc G appellatur, ab antiquis C vocabatur*: ſiue etiam, *notabatur*. Ipſemet * alibi: *Antiqui per C litteræ formam nihilominus G vſurpabant.* Viciniam vides. nec nego tamen, quin ſonus G litteræ paullò diffuſior ſit & mollior: quem referes, *appulsâ ad palatum linguâ, modicello interuallo, lenem ſpiritum emittens.* Nos hodiè quàm peccamus? Italorum enim plerique vt Z exprimunt, Galli & Belgæ vt I conſonantem. Itaque illorum eſt *Lezere, Fuzere*: noſtrum, *Leiere, Fuiere.* Omnia imperitè, ineptè. Germanos ſaltem audite, quorum ſonus hîc germanus, *Legere, Tegere*; vt in *Lego, Tego*. nec vmquam variant. at nos ante I. E. Æ. Y. ſemper: dicimusque *Iemmam, Ietulos, Iiniiuam, Iyrum*, pro iſtis, *Gemmam, Gætulos, Gingiuam, Gyrum*. Mutemus, aut vapulemus.

** In Prodigio.* vide.

Feſtus leuiter emendatus

» In Orcum.

G litteræ ſonus & expreſſio.

In eo vitiũ.

Germanis hac litteræ incorrupta.

CAPVT

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CAPVT XIIII.

De litteris D, & T. huius vitiosum hodie in parte sonum esse: nec iuuari à falso Papyrio. An T, Viuum significauerit? Isidorum forte an correxerim. Lapidibus data lux.

BIGAM ecce leuem interpono: in quâ D. T. iugales. Quòd vicinę inter se, quodq; adsonent, cur te moneam? Ipse vides. & passim etiamnunc in libris paullò antiquioribus, *Set*, & *Sed*, *Haut*, *& Haud* alternant: inque lapidibus, QVODANNIS: ADQVE: contrà, ATFINES: ATLECTVS. QVIT pro Quid, ac talia. Effertur hodie vtraque rectè (nec præitione meâ ad sonum opus:) excipio, quod peccant in T, quoties ea vocalem I anteit, & hęc aliam. Q. Papirius quispiam auctor & tutor huic culpæ aduocari potest: cuius hæc lêgi verba. *Iustitia cùm scribitur, tertia sillaba sic sonat, quasi constet ex tribus litteris T. Z. & I. cùm habeat duas, T. & I. Sed notandum, quia in his sillabis sonus iste litteræ Z inueniri tantùm potest, quæ constant T, & I, & eas sequitur vocalis quælibet: vt Tatius, Otia, Iustitia, & talia. Excipiuntur quædam nomina propria, quæ peregrina sunt. Sed ab his sillabis excluditur sonus Z litteræ, quas sequitur littera I, vt Otij, Iustitij. Item non sonat Z, cùm sillabam ti antecedit littera S: vt Iustius, Castius.* Onugator! verè enim sic appello nebulam Grammatici, non Grammaticum, & quem mihi certum nec esse quidem à prisco æuo. Vnicum hoc Fragmentum hominis exstat, nec aliud: cui ipsi vtinam lumbi & renes diu fracti! At enim Murete, inquam, etiam Ciceronis iocus in *Actium* quemdam id stabiliat: qui allusione nominis subiecit, Ἄξιον. Ergo vt Gręcorum Illud ξ. pronunciatum T. In fronte, inquit, aliquid est: in re & inspectione nihil. Allusio fuit, sed in propinquo sono, non eodem. Et age, si ea pronunciatio; cur nemo veterum de litterâ T, tale aliquid prodidit? aut quæ causa cur sonũ ante I magis, quàm vocalẽ aliam mutet? nõ dixeris. & sperno audacter hasce ineptias vel vno argumento, quòd nulli Consonantium (aliter quàm in Vocalibus) sonus duplex. Tu igitur, Lipsi, ne audi. non item Isidorum: qui magnum scilicet arcanum huius litteræ vulgat, *In breuiculis quibus militum nomina*

D & T vicina.

T hodie in parte vitiatur.

Falsus nescio quis Papirius.

Isq; cũ vulgo refutatus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

De Isidori adfirmatione haesitatio.

continebantur, T notam in capite versiculi positam, superstitem designare: Θ verò ad vniuscuiusque defuncti nomen solere apponi. Ille mihi sæpe subleſtâ fide: & certè hîc. Quæ enim ratio cur T. viuum notauerit? aut quod alibi exemplum? Ego de *V* illud verum scio: & valdè inclino, vt litteram eam potiùs hîc sit reponendum. Nam ecce in sepulchralibus lapidibus, quoties pluribus monumentum aliquod exstructum, adscalpi solet, qui ex iis super terram, qui sub terrâ. Illis V præponebatur, prima scilicet in *Viuus* littera: istis Θ, quæ in *Thanato* capitalis. Noto & vulgo adhuc non vulgatum, & firmo his exemplis. In istâ vrbe, domo Episcopi Aquinatis:

Fortasse is corrigendus.

V & Θ in sepulcris quid notarint.

Θ CN. OGVLNIVS. CN. L.
NICEPHORVS

* (Θ) GVLNIA. CN. L. NICE
V. L. SAFINIVS. Ↄ. L. SVRVS.

* Hoc Theta inclusum ita O litteræ.

Vbi duo mortui signantur: postremus Viuus. Item ad Marianum templum:

Q. EPPIVS. Q. F. CORRVPP
Θ CLODIA C. L. SILENIO
Θ EPPIA L. F. PAVLI VOTE
NNIANA MATER
EPPIA M. F. POLLA.

* Item alibi:

* In ædibus Franc. Porcari.

V D. LABERI. DD. ET. Ↄ. L. SYMMACHI
Θ LABERIA. D. L. ET. Ↄ. MVSA
V D. LABERI. D. L. EVTICVS.

Theta cur mortualis littera? Ausonius explicatus.

Atque hæc fortasse causa verior, cur Theta mortiferum dictum; quàm quod in iudiciis damnandi ea nota. Ausonium quidem ego huc adspexisse confirmem, cùm in impurum illum Eunum scripsit:

Miselle doctor ov tibi sit obscæno,
Tuumque nomen Theta sectilis signet.

Mortem enim ei precatur, & quidem à laqueo (ea forma est in * & contractâ:) & adscribi ad defuncti eius nomen optat Theta.

* Scaliger in Ausonium acutissimè id vidit & monuit.

CAPVT

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CAPVT XV.

De sex litteris facillimæ pronunciationis iunctim dictum. N à Græcis aut Latinis sæpe omitti: sed malè.

DABO & seiugem. sed quæ Circum peruolabit leui rotâ. In H. enim, I. L. M. N. R. quid insistam? De sono & elatione constat: & vix, siquis velit, in iis peccet. Naturam autem aliam litterarum indagare, non hîc meum opus. H sique littera siue flatus est, molliter efferenda, nec vt robusti illi Germani. Post consonantes item molliter, sine strictura aut sibilo; quod malè in vsu quibusdam. Quanquam & veteres quosdam populos eam fortiùs pronunciasse censeam: vtique quibus ea pro F fuit. vt Faliscis. Nam istorum est *Haba*, pro Fabâ: *Hanula*, pro Fanulis, & quæ talia. I autem consonans, mihi sic sonat vt aliquid teneat è Vocali. non fixè nimis prosequę proferenda, vt G illud corruptum: sed eo pænè modo, quem dixi in Digammâ eius sorore. L facillima & liquidissima litterarum: quis in eâ peccet? nisi Hispani fortè cùm gemina est, qui nescio quid ex I & L mixtum proferunt & fractum. M mugientem illam litteram, omnes rectè. N tinnientem, omnes rectè. R item: nisi quos ligauit aut vetuit natura. quod in Demosthene, Alcibiade, Aristotele, Scaligero patre. Sed de N hoc addo; mirari me, cùm tam suauiter ea sonet, omissam sæpe à Græcis aut mutatam. Illorum enim est μαλλι῀ον, qui Latinis *Manlius*: * Ορτήσι῀ον, qui *Hortensius*: & plura. Quanquam & Latini in hac culpâ: certè sculptores, in quorum lapidibus lego, CLEMETI, pro *Clementi*: COIVX, & INFAS: *Coniux*, *Infans*: MESES denique, *Menses*.

H littera, qua efferenda?

Et I consona.

Item L in quo Iberi peccant.

N sæpiculè neglecta à Græcis.

* Quod Labinus contra receptã scripturam approbat, malo studio nouitatis.

CAPVT XVI.

De littera S, quæ multis veterum inuisa, & culpata. A nobis ea releuatur. Romani quàm crebrò vsurparint, & pænè ante omnes litteras? X crucem referre. quædam de variâ crucium figurâ. Artemidorus, & Maximus & Isidorus episcopi illustrati. De littera Z. & ordine omnium soni.

VLTIMAM in Consonantium hoc Missu trigam habe, ex S. X. Z. E quibus Sigma priùs stabiliendum leuiter & de-

Sigma littera multi hostes.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Eorũ in hanc conuicia.
** adulterinã.*

& defendendum eſt: quia famam eius multi petunt, imò vitam. Pindarus conuiciatur, & * κίβδηλον appellat: eiusque odio verſus compoſuiſſe dicitur ἀσύγμυς. Dionyſius Rhetor cùm R attollat, hanc abiicit & turpi voce appellat θηειώδη. Attici omnes (quod non neſcis) oderunt, & ſuccedaneum ei ferè T dederunt. Iam noſtri velut compacto conſpirant. & inter proceres * Meſſalla, *ne litteram quidem eſſe, ſed ſibilum* ait. Inter magiſtros Fabius, *aſperam* pronunciat, *& in commiſſurâ verborum rixantem*. Quin ipſi priſci, Atticorum exemplo, eiecêre: & *Mertare, Pultare* illorum fuit, ſicut Ennij *Adgrettus fari*. Sed & poëtæ tracti in partes: & in verſu vbi conſonans exciperet, plerumque hæc iugulata. Inde — *vitâ illâ dignu' locoque*. & — *omnibu' princeps*: & in Plauti Terentiique fabulis obuia exempla. Miſella! quis tibi tutor in tam validos & tam callidos? affectu ego, neſcio an viribus: & fortaſſe fuerim, vt ille ait, *ſolatium potiùs litis, quàm auxilium*. Pindari conuicium primò quî refellam? nec capio quidem. Adulterinam incertamque litteram eſſe vult. Quid ita? nihil video. hoc ſcio, ſiue ſonum, ſiue indolem aſpicias, germanam eſſe germanæ Vocis prolem. Siqua iuſtæ litteræ nota ei abeſt, magne vates: pro eâ noter ego. At enim ſibilat. hoc, credo, voluiſti: & tecum Rhetoriſta ille, qui appellat *Theriôde*. quod Serpentinam ſiue Viperinam interpretamur, (malè alij *Ferinam & Brutalem*) quia ſibilus ſerpentum. En crimen! Quin tu litteram R igitur ſpernis, quia canum? M, quia boum? B, quia ouium? Nam irriunt hæc animantia, mugiunt, belant. Tamen cedò, cùm inuidioſum hunc ſibilum ſerpentium dicis: de ventis, arboribus, hominibus quid cenſebis? quorum ſibilos eſſe, & quidem ſuauiſſimos, non negabis. Quid tibiis & fiſtulis facies? quas hoc argumento abiicies ex humanâ vitâ. Ipſæ ſerpentes vtinam hoc vno malæ! amem ego eas, adeò non culpem. Ampliùs dico. res optimas, res ſuauiſſimas priſci nomenclatores, hac litterâ notarunt, velut Naturâ duce. In cælum ſuſpice: occurrent, *Stellæ, Sol, Sidera*. In terram deſpice: agnoſces *Seſamum, Saccharum* inter dulciaria. *Suſurros, Suauia, Baſia* inter amatoria. & inter vitæ gaudia, *Somnum, Salutem, Sanitatem*. Litterarum ipſe *Sonus*, quî ſine hoc ſono? Ineptè igitur & vanè

Nos defendimus, & illa illos q; refellimus.

Pindaro reſponſum.

Et Dionyſio.

Sibili quidã non inſuaues.

S litteræ rebus optimis inſitæ.

Suauitatis ea index.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

vanè tu, qui humaniſſimam litteram indigetes *Theriôde*: Plato verius, qui πνευματώδη. Rectè enim ita vegetam & ſpiritalem notulam agnominat: quamquehomines amant & æſtimant, qui ipſi tales. Maurus benè:

Viuida eſt hæc inter omnes, atque denſa littera.

Attici ſpreuerunt, inquis. Quid mirer molliſſimos mortalium? At non Lacones aliqui aut Thebani. Hoc ipſo tempore, robuſtum hunc Sibilum robuſti illi Germani adamant: fugitis vos (ne ægrè ſit meo Lipſio) mollicelli *Belgæ. Perperam. nec id doceo: quia egit & peregit hanc cauſſam ante me Lucianus apud Vocalium tribunal. Et hæc eadem in Meſſallam opportunè dicta mihi ſunto. Fabius ſequitur, qui aſperam criminatur & rixantem. Bonâ veniâ Magiſter. à quauis cauſsâ tibi odium in hanc litteram, non à Ratione. Te, in te, aduoco. Tu enim idem ibidem, Z molliſſimum & ſuauiſſimum appellas. quî poteſt ſi S inſuauis? Quidquid enim mollitiei in illâ eſt, debet eſſe ab hoc fonte. Nam D quæ immixta, etiam te iudice aſpera eſt & duri caſus. In illam igitur ſi æquus, quomodo iniquus es in iſtam? Sed profectò in toto illo iudicio, quo Græcanicum effatum ſupra Latinum ambitiosè tollis, plura tibi excident iudicij non ſimilia: & inter ea, iſtud. De priſcis Latinis quod obiiciunt: bellum. Vnam aut alteram voculam adferunt, in quâ hæc mutatio: ego ſecentas, in quibus alia. Nam hoc veriſſimum, priſcos illos verè viros frequentaſſe virilem hanc litteram, & inſeruiſſe aut ſubſtituiſſe, pæne dicam, affectatè. Ecce *Caſmenæ* illorum ſunt, & *Duſmoſus* & *Coſmittere*; pro Camenis, Dumoſo, Committere. Eorumdem * *Aſæ* pro Aris, & *Fuſui*, pro Furuis, & *Valeſij* & *Fuſij*. Iam *Odos*, *Vapos*, *Arbos*, *Robos* dixêre: & ab iis ἀναλόγως *Odôſem*, *Vapôſem*, *Arboſem*, *Róboſem*: quod * Feſto credes. eiuſdemque generis, quod Fabius notat, *Clamos* ac *Paſſes*. Nec *Stlatum*, *Stlitem*, *Stlocum* ignoras: pro Lato, Lite, Loco. item quæ è Græcis commutata, ἕρπω, *Serpo*: ἕξ, *Sex*: ἑπτὰ, ſeptem: ἅλ, Sal: ὕλαι, *ſyluæ*: & multa. Poſtremùm, vbi geminata ea: vt in *Caſſus*, *Cauſſa*, *Diuiſſio*. quod Ciceronis temporibus paullumque infrà factitatum ait Fabius. A quo more etiam in lapide legi, BASSIS, pro Baſis. Quod poëtæ tamen hanc omiſerint: (id enim etiam obiicitur) quæſo omittant.*

Responſum de Atticis.

* Qui T, ité ſubſtituimus: *Wat, Dat*, &c.

Ad Fabij conuicium.

Quinimius in efferendis Græcis, premendis nobis.

Ad Latinorum morem, reſponſum.

Qui crebrò olim in hac litterâ.

* In voce *Arboſem*.

De potiùs, reſponſum.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

tant. Quis tam imperitus est, qui nesciat à versuum lege id esse, non à contemptu? & satin' hæc, Lipsi, ad veterum in hanc litteram amorem & honorem? satis. sonum potiùs eius videamus, qui lenior paullò, quàm hodie efferunt, molliorque. Incrassamus enim, & haud longè pronunciamus à TS, *Sonum, Saccum* &c. quasi essent, *t'sonus, t'saccus*. At* lenis ille effatus verior est, quem seruamus in mediis vocibus, *Misi, Piso, Asinus*, &c. Viros doctos non audio, qui efferri vt corruptum illud C volunt, *Seleucus, Simia, Sanus*. Malè: & transeunt in vitiũ, quod Συεγγμὸς dictum Græcis. Terentianus à lenitate hac nostrâ est:

*Quis verus ei sonor? *Quem Belgæ retinent, Sien, Saeck, Sout.*

——agitur pone dentes
Sic læuis, & vnum ciet auribus susurrum

Vbi, *Sic Lenis* malim: ex* Victorino qui ferè hæc transscripsit.

*Vide verba eius, si vis, in fine libri.

Ad X iam venio, cruciariam illam litteram. Non enim malè sic appellem, quia & figura hæc illi, & aures linguamq; cruciat duro sono. Hîc ego, Resiste paullùm, inquam, etsi properas. De figurâ non fallis? vereor. Nam ea in T litterâ consensu omnium, non in istâ. Vel Tertullianum audi: *Ipsa est littera Græcorũ Tau, nostra autem T species crucis*. Ille promptè: Hoc, Lipsi, non nescio, inquit. sed tu quoque scito, Crucis non vnam olim formam. Formabant, vt dixisti, recto & transuerso ligno ad T faciem, siue ad mali cum annexâ antemnâ. Ita enim Ausonius:

X littera, crucis formam refert.

Cruces variè figurat a olim. Vt T siue vt malus in nauí.

Malus vt antemnam fert vertice, sic ego sum T.

Et ideò cum naui Artemidorus comparat lib. II. ἐκ ξύλων, inquit, καὶ ἥλων γέγονεν ὁ σαῦρος, ὡς καὶ τὸ πλοῖον. καὶ ἡ καταρτιὰ αὐτῷ, ὁμοία ἐστὶ σαύρᾳ. *E' lignis & clauis crux componitur, vt & nauis. sicut conformatio etiam nauis, similis cruci.* Appositè D. Maximus Taurinensis Episcopus: *Cùm à nautis scinditur mare, priùs ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur; vt cruce domini factâ, aquarum fluenta rumpantur.* Atque hæc vulgata forma. sed nec illa infrequens ex lignis decussatis, quã X littera repręsentat. De eâ Isidorus: X *littera & in figurâ crucẽ, & in numero decem demonstrat*. Vtraque ista in Constantini nummis conspicitur, cũ adscriptione IN. HO C. VINCE.

Item transuersa vt X.

*Consolatione ad Martiã.

*Seneca ad hanc varietatem: *Video istîc cruces non vnius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas*. Sed redeo ad meam lineam, & pergo de sono: qui in istâ durus, ex C & S mixtus. Ideò in monumentis altera ea littera sæpe etiam iuncta. vt, VICXIT. IVNCXIT.

Sonus litteræ X.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

IVNCXIT. &, CAPPADOXS. CONIVXS. Quin veteres CS, aut GS, pro eâ ſcripsêre; nec reperta X ante Auguſti æuum, ſi credo Iſidoro. Nigidium quidem in libris ſuis ſpreuiſſe vti, lego apud Victorinum. In hac efferendâ peccari adnodum non video: igitur pergam.

Supereſt mihi Z quam valere * DS conſenſu tradunt. ideò & ſic efferenda. *Dſona, Dſeno, Dſelus, Madſa, Medſentinus.* Nos hodie peſſimè, qui molliùs quàm ipſum Sigma. Quia adfinitas cum D illi: ideò in eam ſæpe mutat, & contrà. *Zetha, Dietha: διαβάλλω, ζαβάλλω:* & *Zabolus* pro Diabolo ferè ſemper apud Paulinum Antiſtitem Nolanum. Quinctiliano Z *& Υ apud Græcos nullæ dulcius ſpirant.* & approbo: etſi Appius Claudius (Capella refert) *hanc litteram reformidarit, quòd dum exprimitur morientis dentes imitetur.* Ita aurium iudicium, Lipſi, varium, vt & ſenſuum aliorum. At ego de Elemẽtariâ Pronunciatione campum hunc decurri: reſtat ille, qui de Accentuali.

* Etſi Latini ſæpe vertunt in SS duplex. *μάζα, maſſa: ϖατρίζω, Patriſſo,* &c.

Z litteram aliquid ex D trahit.

CAP. XVII.

Ad Accentus tranſitum. eorum in Pronunciatione vtilitas, ſiue Neceſſitas. Definiuntur, diuiduntur.

QVEM veteres aliquot nouique decurrerunt, fateor: ſed cur non leui rotâ etiam ego? Ordo ſermonis huc me ducit: & quis ſcit an non planius aliquid aut plenius dicam? Conabor. Tu tantùm Lipſi, ſcin' quid te velim? Iube, inquam. Illud Cælianum, ait: *Dic aliquid, vt duo ſimus.* Nam hactenus audis me nimis obnoxiè, non ſolùm intentè. Vt autem ex lapidum attritu ignis elicitur: ſic ſæpe veritas ex alternantium, imò & altercantium ſermonum conflictu. Sed enim quid obloquar aut interloquar, inquam, vbi res non anceps? Sic mihi viſa, quæ adhuc dicta. In aliis ſiqua mihi ſalebra aut abruptum, reuocabo liberè & ſiſtam. Tu perge, nec reſpice. Ridens ille, At enim Plautus noſter, inquit, hoc probi agitatoris eſſe voluit. Sed capio iterum lora, & quò cœpi, aurigor. Pronunciationis pars mihi facta altera, Accentus. Iure. Elementaris enim illa quî ſufficiat? Quin vt in citharâ parum ſit nerui cuiuſque ſonum noſſe, niſi efficere poſſis iunctim ex iiſdem

Accentus in rectâ pronunciatione adhibendus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

concentum: sic fruſtrà elementa mihi rectè efferas, niſi ex iis & voces. At has non potes, ſine iuſto legitimoque ACCENTV. quem communiter & largè cum Grammaticis definio, *modum omnem quo ſillaba afficitur, in loquendo ſeu ſcribendo.*

Definitio eius, largiter ſumpti.

Diuiſio. Eum in quattuor partes diſtinguo. In

TEMPVS: quod duplex:
- LONGVM: *quo ſillaba talis producitur in effatu aut in ſcriptu*. cuius nota lineola producta ſiue Apex –: ſic, *Mālus*.
- BREVE: *quo ſillaba talis contrahitur in effatu aut in ſcriptu*. cuius nota Sigma ſupinum ⏑: ſic, *Mă̆lus*.

SPIRITVM: qui duplex:
- LENIS: *qui ſillabam tenuiter & ſine flatu effert*. cuius * nota olim ſiniſtra pars H diuiſæ ┤: ſic *┤amo*. nunc ſemicirculus læuus vſurpatur ɔ: ſed à Græcis. Nam Latini rectè omiſerunt, contenti defectum flatus notare defectu notæ.
- DENSVS: *qui ſillabam vberiore flatu ſtipat & inſpirat*, cuius * nota olim dextra pars H inciſæ ├: ſic *├amus*. Nunc nobis H integrum ſeruit, Græcis ſemicirculus dexter c,

* ψιλὴ dicta Græcis.

* Δασεῖαν dicta Græcis.

DISCRETIONEM: quæ triplex.
- CONIVNCTIO ſiue ὑφὲν: *quâ duas diſcretas voces ſic coniungimus, vt vnitæ videantur*. eius nota ſemicirculus pandus ⏝: ſic *Ante⏝uolans. Ante⏝dux.*
- DISIVNCTIO ſiue ἀφαιρεσολὴ, oppoſita priori: *quâ voces, quas imperitè poſſimus iungere, diſparamus*. eius nota, dextra pars circuli ad imas litteras depoſita c: ſic
  — *in litore conſpicitur c ſus*. ne legas *vrſus*.
- AVERSIO ſiue ἀποσοφὴ: *quâ litteram litteráſve ſupprimimus & auertimus loquendo ſcribendoque*. eius nota pars circuli ſiniſtra ad ſummas litteras depoſita, ° : ſic
  — *tanton' me crimine dignum*.
  &, *Mult' ill' & terris*.

TENO

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

TENOREM: qui triplex. { ACVTVS. / GRAVIS. / FLEXVS. } de quibus deinceps singillatim dicimus.

CAPVT XVIII.

De Tenoribus propriè. quibus aliis nominibus dicti? quid sint? quotuplices sint? Definiti omnes, & notulis suis insigniti. De Sigmæ formâ per occasionem disserendum vberiùs.

ATQVE hæc generalis diuisio Accentuum: posita sic à priscis, paullò aliter à me disposita. è quibus loco postremus ille, re primus. Si enim dignitatem & vsum spectes, anteit alios: & eximiè Accentuum nomen sibi vindicat inter omnes. Reliqui affectionem aliquam syllabæ dant, & sæpe leuem: hic vim & vitam. Marcianus de isto benè: *Animam vocum esse, & Musices seminarium*. Nec alius sanè est, qui aut Pronunciationem magis ornet rectus, aut deformet prauus. Itaque paullò magis cum curâ mihi de eo dicendum, vt qui propriè spectet ad meam Spartam. Speciem igitur hanc Accentus, Lipsi, Græci dicunt τόνους: Latini ab eo *Tonores* olim, post *Tenores*: atque etiam, *Voculationes*, *Moderamenta*, *Accentiunculas*: imò exoche quâdam, ἀπλῶς *Accentus*. Reuera enim eleuatio illa & depressio syllabarum, quæ per Tenores, super omnes alias species, simile quiddam habet cãtu. Capella *Fastigia* etiam & *Cacumina* appellat: me iudice, metaphoris aptis valdè & honestis. Caput suum huic argumento inscribit, *De Fastigio*: & inserit, *Accentus partim Fastigia vocamus, quòd litterarum capitibus imponantur, partim Cacumina.* De voce habes: rem definitione nunc explico. TENOREM *mensuram* esse aio *syllabæ, in scriptu aut effatu, ex lege siue more.* Mensuram pono: quis neget? Ad quantitatem enim Tenor pertinet. in quâ cùm dimensio triplex, Alta, Lata, Longa: ad primam hic referendus, ad alteram Spiritus, ad tertiam Tempus. Discretio aliena à Quantitate est, ideoque nec propriè Accentus. Mensura autem hæc in syllabis pariter triplex: quæ attollit pronũciando, quæ deprimit, quæ vtrumque. Inde totidem Tenores: quos indigetamus *Acutum, Grauem, Flexum.* ACVTVS est, *qui syllabam intendit acuitque, & cum*

Tenor inter Accentus præcipuus.

Varia eius nomina.

Fastigium.

Definitio Tenoris.

Diuisio. Quid Acutus, eius q; signum.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

& cum eâ vocem. Eius notam in scripto faciunt lineolã dextrorsum ascendentem sic /. fastigij scilicet dimidiatam partem. GRAVIS, *qui syllabam dimittit, & cum eâ vocem.* Eius aduersa nota index, lineola descendens sic \. pars altera fastigij inclinantis. FLEXVS, *qui vnam eamdemque syllabam longiore vocis ductu & tollit & demittit.* à quo flexu ei nomen. Eius nota iure ex vtrâque composita sic, Λ. id est, fastigium plenum. Hoc Victorinus rectè vocat V transuersum. *Circumflexus*, inquit, *transuersa V litterâ notatur hoc modo* Λ. Interrumpens hîc ego, Ad Cęlianum illud M. Antoni: dicam aliquid, imò contradicam. V transuerso notari eum vis? negat Marcianus, qui *Flexi signum* facit *Sigma super ipsas litteras deuexum.* Hæc autem nota ab illâ quantum distat? Muretus, Benè, inquit, iniicis. laudo. Sed ego quoque me non malè expediam, si scias quæ Sigmæ Græcanicæ (eam intellegit) olim forma. Non enim illa, quæ nunc, flexilis & serpentina Σ, cui nihil cum Accentuali vnquam notulâ commercij: sed lunaris aut semi-orbiculata quædam, sic C: prorsus vt *Ce* Latinum. Maurus ab hac caussâ, inter litteras quæ figurâ ambiguâ fallere possint, hanc ponit.

A Latina, sæpe vt Alpha, sæpe Lambda scribitur:
I similiter Ιῶτα *credi, & C potest quod Sigma sit.*

A, inquit, sæpè vt Lambda scribitur (vidi in lapidibus inferioris æui, Λ, sine transuersâ lineolâ) & I nostrum vt Ιῶτα, & C vt Sigma. Ita enim reuera scripsêre. sed, ne te fallam, non nimis olim medio dumtaxat illo Principum æuo. Antè enim flexa illa obtinuit, & pòst iterum euicit. adeò vt illius meæ non vita non memoria sit, nisi in monumentis lapidum, & pauculis si forte libris scriptis. Sed in lapidibus crebra. vt, ΔΙΟCΚΟΡΟC. & CΑΡΑΠΙΔΟC. & in hac vrbe marmoribus tricenis. Quia igitur inter notandum Tenorem illum flexum, lapsu quodam properantis manus factum, vt non angulare illud signum exprimeretur, sed curua linea vno ductu, sic* ∩: Marcianus receptam vulgò notam ingerens, scitè appellat, *Sigma deuexum.* quia reuera tale est: sicut contrà Sigma Supinum in breuis syllabæ notâ, sic ∪. Iterum ego, Capio, inquam, & approbo: & iamantè non ignotum mihi istud Sigma. quò etiam Martialem referebam, *Aspice lunatâ scriptum testudine* sigma.* Sed quòd addis

Quid Grauis?
Quid Flexus?
Flexi duplex signum.
Sigma priscũ.
Mauri notabilis locus.
Sigma Lunare quando in vsu?
Cur eo Flexus Tenor notatus?

*Quæ nota etiam in Prisciani vetustis libris, De Accentu.

* Quod de Mensario capiendum: vt alibi illustramus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

addis de medio Principum æuo: caues mihi, an cauillaris? Hoc potius, si dextrè poëtas aliquot veteres accipio: qui auctores mihi iam olim de Lunari istâ formâ. Agathon Tragicus, vbi Thesei nomen argutè per imagines scribit, Sigma cum arcu Scythico comparauit & per eum expressit.

*Σκυθικῷ τε τόξῳ τεῖτον ἰῶ προσεμφερὲς.

De priscâ formâ Sigma indagatum curiosiùs.

*Scythico sed arcu tertium compar fuit.

En, Tertia, inquit, littera in ΘΗCΕΥC refert Scythicum arcum. Arcus autem facies nónne semi-lunaris? Sed & Euripides in eâdem re & nomine ludens, tertium elementum comparat cum crinium cicinno:

*Τρίτον δὲ βοστρυχός τις ὡς εἱλιγμένος.

*At tertium, cicinnus vt contortilis.

At cicinni illi calamistrati siue anuli, mihi quoque videntur facere orbiculatæ huic formæ. Muretus contracto vultu: Quæ adducis, inquit, specie firma sunt, re vanescunt. Cum arcu Agathon comparat. Ita: sed adde, Scythico. cuius ego formam paullò aliam à communi hac fuisse adsero, flexu illo triplici, qui etiamnũc apud Turcas, Scytharum scilicet stirpem. Cum cicinno Euripides. sed nónne flexili & tortuoso? adiunxit enim εἱλιγμένον. Non autem vna in vno crinium anulo hæc contortio, sed per gradus multiplex, vt in capreolis vitium, & vt olim in capillis pendulis comatorum. Ad hanc aspectum. Nec plura ego: ne excidam à lineâ, quam insisto.

Verus intellectus eorum versuum.

CAPVT XIX.

Accentus olim nec Latinis nec Græcis scriptitatos esse. lapides, qui adserere videbantur, reiecti aut aliorsum tracti.

TENOR igitur Mensura vocum est, & quidem in specie illâ trinâ quam dixi. Definitioni dehinc addidi, *inceptu siue effatu*. De effatu quis ambigit? nonnemo de scriptu fortasse: quia notulæ istæ Accentuum in priscis libris raræ, imò in magis priscis nullæ. Nec id in Latinis solùm, sed & Græcis. Miraris? vagare mihi per hanc vrbem, & quære. multa monumenta in vtrâque linguâ, multi lapides: lapis ego, si Accentiuncularum istarum vsquam apex. Sed nec ψιλὴ vlla aut δασεῖα in Græcis, quas nobis flagitium grande sit omisisse. Quòd si Grammaticos tamẽ audis: scribes, & pleraſque omnes

An scripti olim Accẽtus?

Non videri.

Vt nec aspirandi nota in Græcis.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

nes voces digeres ſub Tenorum ſuis ſignis. idque diſcretionis & intelligentiæ, vt aiunt, cauſsâ. Mihi priſcus mos placeat: quem in his talibus teneam (audeo dicere) etiam contra rationem. Hîc ego non ſine riſu, Soluiſti Murete frenum huic linguæ: quis reponet? Vide ne fiam tibi Arabius tibicen: de quo Græci,

* Δραχμῆς μὲν ἀυλεῖ, τετράφωνον δὲ πάυεται.

* Nummo canit, ſed quattuor nũmis ſilet.

Nam denuò interpello. Negas Accentiunculas ſcribi aut ſculpi ſolere: & (da veniam) erras, nec erras. Quòd rarò, verum eſt: quòd numquam, vanum. An lolio fortaſſe ego victito, & fefellerunt me oculi in lapidum aſpectu? non opinor. Hac vrbe, in domo Delphiniorum:

An non Accentus in lapidibus?

P. STÁTIÓ. P. L. BIONI
PAEDÁG. DOMINI. DEC. VI. A. XCVI.
P. STATIVS. P. L. ANTEROS. POSVIT.

Ibidem:

LIBERTA. ET. CONIVX. PETRONIA.
CÁRA. PATRÓNÓ
THALLVSA. HÓC. TVMVLO. CONDITA. LVCE. CARET.

Et in eodem lapide, ne ſim longior, VICENÓS. &, LVCIBVS. &, FÁTA. &, OCVLÓS. &, TERRÁS. Sed & extra vrbem, in agro:

L. PEDÁNIÓ. L. LIB.
EVPHRONI
L. PEDÁNIVS. CLÉMÉNS.

Item viâ Prænestinâ:

DIS. MÁNIBVS
M. IÚNIO. CÝRIONE
EQ. R. LEG. XXII. VIC

Atque hæc clarè vidi, legi Murete, & cum fide exſcripſi. Monuit ille caput. &, Fidem ego tibi quidem adoleſcens habeo, inquit; ne tu illis. Imperita aliqua ſculptoris manus hæc ſcripſit. imperita, ſed & malè curioſa. Dic enim ſeriò, quomodo PEDÁNIÓ, & STÁTIÓ, & PATRÓNÓ, rectè inſculpta lineâ duplici, ſi hi Accentus? Nam ſingulos eos ſingulis vocibus eſſe, lex & mos iubet, nec tu infitêris. Quomodo item in CÝRIO-

Videri eos per imperitiam eſſe.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CVRIONE primam ſedem Tenor teneat? Denique quid ita in omnibus vocibus Acutus tantùm, ſine notâ vllâ Flexi? Hęc inepta, ſtulta, & à bardis. niſi ſi id tamen voluerunt, Apices eos eſſe, quîs inſignirent (ita ſuſpicor) vocales longas. de quo ritu mihi prædictum. Etiam me moraris? Nihil ego, inquam. te ſequor, illos ſperno.

Aut potius loco Apicum.

CAPVT XX.

De legibus Tenorum, quas Grammatici tulerunt. Eas promptas facilesque eſſe. à Fabio benè & ſtrictè comprehenſas. Plura in Notis, quæ ad rei totius lucem.

PERGO igitur, ait, ad Definitionis meæ reliqua. Addidi enim & hanc clauſulam, *ex Lege ſiue more*. Nec diſiunxi fruſtrà. quia non legem ſolam in Accentibus agnoſco, ſed video aliquid olim fuiſſe etiam ex More: & recepta quædam, quæ non præcepta. Sed de Lege, Lipſi, nónne obuium promptumque eſt? exſtant Grammaticorum libri, nec nos hodie aberramus valdè. Tranſibo, ſi vis, aut trãſilibo potiùs: & flectam ad orbitam de More, quæ minus trita. Vultu & manu renui ego, Minimè magiſter, inquam. In ceteris cùm per te mihi luceat & liqueat, in caligine hîc relinques? Non grandi aut ſpiſsâ eâ forſitan: ſed in quâ tamen non compareant pura illa (cum Lucretio dicam) diei tela. Tu infer. & quæ veteres confusè aut parum munditer exſecuti, reſequere diſtinctè & tuo more. Ille grauatus, Breuiter igitur, inquit: & magis quia vis, quàm quia opus. LEGEM in Tenoribus appello, *veterum litteratorum de iis diſponendis ſcitum ac iuſſum*. Scripsêre enim, & habuerunt hanc inter Grammaticæ primas partes. Sed ea lex nec operoſa, nec longa. Simplex tota, vniformis, & ab vnâ ferè Temporum normâ. Nam pro ſillabarum dimenſo plerumque Acuimus, Grauamus, Flectimus: aliter quàm Græci, qui variant variâ & vanâ ſæpe (ita iudico) cauſsâ. Hac re Fabius noſtros Accentus parum elegantes aut politos putat, & abiicit eos atque vilitat (Turpilij verbo vtar) præ Gręcis. *Sed Accentus quoque*, inquit, *cùm rigore quodam tùm ſimilitudine ipsâ minùs ſuaues habemus: quia vltima ſillaba nec acuta vnquam*

Duo in Tenoribus ſpectanda: Lex, & Mos.

Quid Lex.

Ea facilis.

Et ferè ex menſurâ ſillaba.

Ideò ſimplices Latinorum Tenores.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

excitatur, nec flexa circumducitur, sed in grauem aut duas graues cadit (lege, *cadis*. non enim vltima syllaba in duas potest cadere.) *semper*. Et de præstantiâ, alius viderit, aut ego aliàs: de paritate quidem adeò verum est, vt paucis omnino verbis vniuersam Accentuum legem complexus sit idem ille doctor. Quem Lipsi audi, & me mitte.

Quos Fabius breuiter & scitè comprehendit.

I. *In omni voce, Acuta intra numerum trium syllabarum continetur:* * *siue eæ sint in verbo solæ, siue vltimæ.*

II. *Et in his aut proxima extremæ, aut ab eâ tertia.*

III. *Trium porrò, de quibus loquor, media Longa aut Acuta aut Flexa erit.*

IIII. *Eodem loco Breuis, vtique Grauem habebit sonum: ideóque positam ante se, id est ab vltimâ tertiam Acuet.*

V. *Est autem in omni Voce Acuta, sed numquam plus vnâ;*

VI. *Nec vltima vnquam:*

VII. *Ideóque in dissyllabis, prior.*

VIII. *Prætereà numquam in eâdem Flexa & Acuta: quia eadem Flexa ex Acutâ.*

IX. *Itaque neutra claudet vocem Latinam.*

X. *Ea verò quæ sunt syllabæ vnius, erunt Acuta aut Flexa, ne sit aliqua vox sine Acutâ.*

* Id est: siue tri-syllabę tãtùm, siue pluri-syllabæ, & eas aliæ præcedant.

Hæc dena (ita lucis caussâ distinxi) legis eius capita Lipsi: quæ breuia, sed plena, &, nisi fallor, etiam plana. Abnuis? frustrà. non hæreo diutiùs in sordidanti hoc puluere, nec tenuerit me sufflamen vllum precum.

NOTÆ.

Explicatio Fabianarum legum.

FABIANA, quæ posui, leuiter erudito non obscura sunt; & peruadere viam illam poterit sine munitione aliâ, sine duce. Tironi tamen me dabo, & sternam ac planiorem eamdem reddam, velut aggestu aliquot verborum.

Capitis primi.

Primum eius caput γενικῶς adfirmatum voluit, in omni voce Tenorem (primarium dico, id est Acutum siue Flexum. nam & hunc Fabius comprehendit sub Acuto, quia ex illo. Grauis autem siue secundarius insuper habetur, nec notatur) intra tres syllabas esse. idque verum. & si vox quadri- aut pluri-syllaba, tamen Tenor numquam ante tertiam. Lex Grammatica ita voluit: sed & Natura. quia vocem si

Accentus non ante tertiam syllabam.

Cur id?

priùs

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

priùs Attollas, id eſt Acuas ſiue Flectas, ægrè per tot ſequentium ſillabarum gradus eam demittas. Re videbis: experire. nec magni Scaligeri argutias hîc audio, quæ veræ non veræ.

Secundum generale quoque eſt. omnem Tenorem aut in pænultimâ aut ante eam ſillabâ eſſe. Non enim ſupra tertiam, vt iam dictum: non item in vltimâ, vt firmabo capite nono. *In quâ ſillabâ Tenores?*

Tertium & Quartum, magis diſtinctè Tenores in Tri- aut Pluriſillabis adſignat. Ipſe ediſſerit obſcuriùs: cape à me explicatè & velut in tabellâ. *In pluriſillabis, quæ ſedes cuiq. Tenori.*

In pluriſillabis penultima aut
- LONGA eſt: idque vel
  - POSITIONE. & tunc Acuitur: vt, *Camillus, Prælegiſtis.*
  - NATVRA. & tunc Flectitur: vt, *Românus, Perdocêre.*
  - EXCIPIO, ſi vltima quoque longa. tunc enim Acuitur; vt *Románo, Perdocébant, Athénæ, Mycénæ.*
- BREVIS & tunc quæ ante eam, id eſt tertia à fine Acuitur: vt *Cælius, Pópulus, Horténſius.*

Hæc regula eſt. nec apud Latinos (ex Grammaticorum quidem ſcito. nam de More fortaſſis olim aliter, vt videbo) vnquam fallax. Græci euariant, qui primam ſæpè Acuunt, mediâ longâ. Quò reſpexit Fabius alibi: *Latini*, inquit, *Olýmpo & Tyránno Acutam mediam ſillabam dederunt: quia vnâ aut duabus longis ſequentibus, primam Acui noſter ſermo non patitur.* *Diſſenſus Latinorum à Græcis.*

Capita V. VI. VII. ad Biſillabas voces diriguntur. eorumque hæc mens, Cùm in omni voce Acutus vnus Tenor ſit (Flexum etiam, vt anteà, comprehende) nec is in vltimâ vnquam: clarum quoties duæ tantùm ſillabę, ſedêre eum in priore. Sed hoc quoque diſtinctiùs dicendum erat, quando propriè Acutus quando Flexus. Tu ſic habe. *In Biſillabis quæ ſedes Tenori.*

IN BISILLABIS prior aut
- BREVIS eſt. & ſemper Acuitur: vt *Déus, Sálus, Dócent.*
- LONGA. idque vel
  - POSITIONE. & ſemper Acuitur: vt *Dóctus, Fáctum, Sáltus.*
  - NATVRA. & ſemper Flectitur: vt *Rôma, Mêta, Lêge.*
  - EXCIPIO, ſi vltima quoque longa. tunc enim Acutum adſumit: vt *Rómæ, Métas, Léges.*

Priora clara. hoc poſtremum cur ita ſit, fortaſſe ambigas. cur inquam Accentus mutetur longâ vltimâ, & abeat è Flexo in Acutum? Cauſſa eſt. quia Flexi, longior quædam, inter efferendum productio: quam haud facilè adhibeas vbi excipit etiam longa, ſine iſtius nimiâ correptione. Eadem cauſſa ſuprà in Triſillabis valuit: vbi & hoc exceptum. *Cur in vnâ voce variatâ, Accentus variet?*

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Error hodie in Flexo enunciando.

Nam vt id quoque moneam, Flexum hodie quis aptè enunciat? plerique omnes ita, vt nihil abeat ab Acuto. Peccant. Discreti enim: & iste, celeri quâdam sublatione vocis efferendus est, sine institione vllâ aut morâ, *Túllius, Dícere, Hómo.* ille, magis tractim & cum vocis longiore ductu: sic vt sillaba cui incumbit velut geminanda sit, elatâ eâdem pariter & depressâ, *Méèta, Hóòra, Prætóòrem.* idque etiam in Græcis, per indolem & naturã ipsam Toni, verissimum scito. Caput VIII. clarum.

Quæ veritas

Tenor Latinis non in vltimâ.

Caput IX. firmat, Latinis Tenorem primarium in vltimâ dici aut scribi numquam. Hoc Capella, hoc Priscianus, hoc omnes tradiderunt. vt iure mirer tam vulgò peccare nos hoc peccatum. Egoipse nónne in eâ naui? etiam hîc, vbi damno. sed non tam insciti â quàm comitate, quido me & permitto siue Typographis siue vulgo. *Metâ, Castâ,* & similia scribo discriminandi caussâ, quoniam Apicum vsus diu periit, nec restituo primus ego. At pro Apice mihi (semel testor) nota illa flexa seruit.

Mei aliqua excusatio.

Grauem non posse esse in vltimâ.

Turpius illud, cùm Grauem Accentum vltimæ dant, idq; in Aduerbiis ferè & Interiectionibus; vt separent (aiunt) secernantque à Nominibus eiusdem casus. Peccant dupliciter. primò, in Grammaticas leges: deinde in Vocis. De illis, clarum. de istâ, nego per naturam in vllâ sillabâ, primariò efferri posse Grauem. ergo nec scribi. Accessorius ille Tenor est, nec vsquam illi sedes, nisi in omni sillabâ in quâ non sedes duobus primis. Vbicumque inquam Acutus aut Flexus non est, illic necessariò & ex annexu Grauis. Vox enim elata, deponitur per gradus & inclinat. Itaque benè & ex Naturæ fonte Fabius tulit, pertulit, *In omni voce Acutam esse, nec plus vnâ.* Si in omni voce Acuta simplex, aut ea composita, (hanc enim quoque Fabius intellegit:) quis locus Graui? quî eminebit? Depressionem notabis, omisso acumine? non debes: quia nobilius illud vocaliusq;. Quid, quòd ipsi in se testes? Cùm enim *Serò, Palàm, Doctè* efferunt, sic efferunt quasi esset *Seró, Palám, Doctê.* nónne Acuis igitur? clarè. idque necessarium, vt effatu discernas à *Séro, Dócte.* Si enim demissé & depressé effaris (quod propriũ sanè Graui est, nec ab eo auellitur:) Acuis ecce primam vel inuitus. Consule vocem. * non Scaligerum meum: cuius cortina haud hîc mihi (Enniano verbo vtar) verat. Sed quid? inquies. Discrimen signari tibi nullum placet? Non meâ quidem caussâ. si ob rudes & tirones lectores, signato: sed ad legem. Acue in iis talibus vltimam, aut flecte. Dictatoris Fabij edictum in totâ hac re mihi audi: *Ceterùm iam scio quosdam eruditos, nonnullos etiam Grammaticos, sic docere ac loqui, vt propter quædam vocum discrimina verbum interim Acuto sono finiant, vt in illis* — quæ circúm litora, circúm Piscosos scopulos. *ne si Grauem posuerint secundam, Circus dici videatur non Circuitus. Item* * Quántum, Quále, *interrogantes, Graui: comparantes Acuto tenore concludunt. Quod tamen in Aduerbiis ferè solis ac pronominibus vindicant: in ceteris veterem legem sequuntur. Mihi videtur conditionem mutare, quòd his locis verba coniungimus.* A quo nihil abit Grammaticorum alia manus, qui *Ergô,*

* Sed nec Græcos, qui in fine Grauant: frustrà.

An discriminanda Aduerbia Accentu? Non quidem ex Fabij mente.

„Quod idem Prisciano obseruatum in vtrâque hac voce: item in *Quando.*

vbi

UVA. BHSC: SC 03860 (2)

vbi cauſſam ſignificat, flectunt: *Poné*, cùm ordinem, Acuunt: pariterque in aliis, nec * Grauem agnoſcunt vſquam. Illud tamen miror, quid ita Fabius & Romani omnes Acui vocem fugerint in fine? Græci aliter, vt ſcimus: ſed & Natura. Quæ enim res aut ratio me vetat vocem tollere finientem, æquè atque ordientem? Nulla. nec illiipſi Prætores noſtri cauſſam interdicti ſui aliam attulerint, præter Noluiſſe.

* Priſcianum excipio, qui videtur pro illo.

An Accentus in fine eſſe non poſſit? Ex ratione poteſt.

Caput decimum ad Vniſillabas, vt vides, ſpectat: & confusè adfirmat Acui eas omnes, aut flecti. Tu cape diſtinctius.

VNISILLABA aut
- BREVIS eſt, & Acuitur: vt *Fár, Sál.*
- LONGA
  - POSITIONE. & Acuitur: vt *Píx, Núx, Fáx.*
  - NATVRA. & Flectitur: vt *Môs, Rês, Lûx.*

Tabella in Vniſillabarũ Tenoribus.

Magnus Scaliger non hîc à nobis: qui Breues aut Poſitione longas, omnes Grauat. Haud probo: & arma in Cæſarem hunc ſumam cum Grammatico Senatu. Placet illud Fabianum, *Vocem nullam ſine Acutâ eſſe.* quia effatus non eſt ſine efflatu: nec hic ſine conniſu quodam & elatione: ergo nec ſine Acuminis ſenſu aut ſigno. Capella fidenter & verè: *Omnis vox aut Acutum aut Circumflexum ſonum habeat neceſſe eſt, etiamſi Monoſillaba ſit. Monoſillabæ enim graui carent.*

Diſſenſus noſter à Scaligero.

Cauſſa.

CAPVT XXI.

Morìs in Tenoribus priſci indagatio haud obuia. Legibus & Acumine ſuo preſſerunt Grammatici. Quædam tamen ex ipſis eruta contra leges. Non videri Tenores ſemper accommodatos ad ſillabæ modum.

AD MOREM veni: in quo iure mihi mora. Simulque ſiluit. Quod cùm fieret longius, appellaui: Quid iam? inquiens. itáne abiungis? atqui nondum, ô Murete, in candidâ illâ calce. Ille ſeuerior, Properas adoleſcens, inquit, aut potiùs feſtinas. Salebram hanc, quæ ante pedes, non vides? haud facilè tranſeo eam ſermonis volante iſto curru. Sine vt interquieſcam paullùm, & velut ſtrigem. Iterumque aliquo ſilentio, ſic cœpit. Ad eum locum ventum Lipſi, qui origo huic ſermoni. Nam de veteri Tonorum more cùm in Conuiuio tuo diſputaſſes: inieci ego. & tu rem voluiſti vberiùs veriusq; à me explicari. Vtinam iſtud poſſem! nam de illo non laboro. Sed reuera res eiuſmodi eſt, in quâ video aliquid non videō,

Quàm mos olim in Tenoribus, obſcurum.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

deo, capio non capio: & quam ſuſpicionum potiùs pede trepido tango, quàm ſcientiæ veſtigio firmiter premo. MOREM hîc intellego, *qui aduerſus Legi, quique abit à Grammaticorum ſcito ac iuſſu.* Quem Pronunciationi etiamnunc interuenire, nihil nego: ſed magis, ni fallor, olim, priuſquam eualuiſſent Grammaticæ argutiæ & oppreſſiſſent. Naim vt priſci illi & verè liberi Romani adſtricti ſeruiliter ad tenues, quas dixi, Leges fuerint: haud temerè crediderim. & regnum ſuum, vt in verbis, ſic in eorum ſono habuiſſe cenſeam Dominum illum Vſum. Quod Græci, quod Barbari hodie in ſuâ quiſque linguâ: cur non Romani habuerint, & quædam pronunciarint ad morem potiùs, quàm ad normam? ad ſuauitatem, quàm ad quantitatem? Ego cenſeam: etſi adfirmare aut illuſtrare id mihi fas paucis argumentis vel exemplis. Quomodo enim penetrem aut oculos adiiciam in tenebras illius æui? omnia ſilentio & obliuione obruta: & ſcimus in eâ parte hactenus, quatenus ſcire nos Grammatici voluerunt. Quibus tamen ipſis expreſſa quædam contra ſuam Legem. præſertim eam, quæ Tenores ligat ad modulum ſillabæ & menſuram. Nam *Mercúri, Virgíli, Sulpíci* in vocandi caſibus ne illi quidem abrogant. Et Priſcianus *Muliéris* etiam recipit: Feſtus *Adeó* cùm Aduerbium eſt. magiſque miranda illa Priſcianus: *Éxinde, Déinde, Súbinde, Próinde, Périnde, Síquando, Néquando, Alíquando.* Quo exemplo nec *Enímuero* ego ſpreuerim, nec quod apud * Agellium Annianus adfirmat, *Exâduerſum.* Compoſitionem enim elucere ipſo Tenoris poſitu voluerunt eâque re Priſcianus & hæc ſuadet, *Tepefácis, Suauérubens, Orbíſterræ, Viríllustris, Præfectúsfabrum, Iuriſcónſultus, Intereáloci*; & Chariſius, *Sacrâuia.* Ab hac mente idem ille Annianus *Affatim* primâ acutâ non mediâ pronunciabat: *cauſſámque huic Accentui dicebat* (verba Agellij ſunt) *quòd, Affatim, non eſſent duæ partes orationis, ſed vtraque pars in vnam vocem coaluiſſet.* Bis miror. primùm quid ita periculum hîc, ne duæ voces cenſeantur? cùm ne poſſint quidem. niſi reſcribas tamen (quod cenſeo) *Adfatim.* Deinde cur vulgò mediâ longâ extulerint? cùm conſtet certè de breui ſillabæ eius modo. Sed & in hoc & pluribus nihil ambigo quin lex neglecta:

Et preſſerunt eũ, datâ operâ, Grammatici.

Nullagens in Tenore aſtricta perpetim ad quantitatem.

Nec Romani quidem: vt exempla hæc pauca euincunt.

* Lib. VII. cap. VII.

Agellio illatum lumen.

UVA, BHSC. SC 03860 (2)

glecta: quæ ſingillatim Lipſi, quis indaget? niſi cui facem aliquam ab æthere accenderit ille Phœbus.

CAP. XXII.

Laquei & velut ænigmata hac in re ſoluta. Agellij multis locis immiſſa lux. item Feſti, Victorini, ante omnes Ciceronis. oſtenſum de litteris eos loqui, non de ſillabis. Tu lege, vide, diſce aut doce.

NAM illa quæ tu in Conuiuio collegiſti, mira & noua fateor: ſed vide ne aſpectu primo talia, explorata non faciant tuæ menti. *Agellius, inquis, verbum *Quieſcit, perpetuâ linguæ Latinæ conſuetudine ĕ littera correptâ pronunciatum* affirmat. *Quieſco* igitur dixêre. Lipſi erras. Non enim hæc doctiſſimi viri mens, & de litterâ ſe loqui non de ſillabâ clamat clarè. ergo nec de Tenore, cui in ſillabâ ſedes. Quid igitur vult? an poteſt E littera illîc corripi, quam duæ conſonantes excipiunt? Non poteſt, fateor. ſed ad meam illam Elementarem pronunciationem referenda iſtæc. quâ docui E litteræ duplicem ſonum, Tenuem ſiue Breuem, Pinguem ſiue Longum. Hoc igitur tunc quæſitum *Quieſco* E ſubtili & breui, vt *Here* diceretur: an longâ, vt *Neſcio, Caleſco.* Et abit illuc, vt in vſu pronunciatum breuiter velit, etſi longiter *Quies.* Simile in *Actito*. Diſputat enim idem ille* ſcriptor, *Actito & Actitaui, primâ litterâ correptâ an productâ dicenda ſint*? Ipſe productâ cenſet: etſi quidam non indocti viri, correptâ. Tu infers, *Actito* igitur quoſdam pronunciaſſe. Hem! os Lipſianum retine & frontem. Impudenter hoc dicitur, ſed & imprudenter. Nam hæc controuerſia. *Ago* litterâ A breui pronunciatur: an igitur & deriuatum ab eo *Actito*? alij negant, alij dicunt. Sed ipſe efferri productè probat, id eſt *Aâctito*, A latiore & quaſi geminatâ. Nos enim hodie peſſimè, qui *Ago* pinguem ſonum damus, iſtiipſi *Actito* exiliorem. Atque hanc certam eius mentem eſſe ex eo certum, quod idem etiam ambigit in *Actitaui*. Sodes, ſi Accentuum res eſt, an in quartâ à fine controuerti poteſt de Tenore? Hac ipsâ luce perfundo, quæ ibidem obſcuriſſimè ſcripta: *Ab eo quod eſt Edo & Vngo, in quibus verbis prima littera breuiter dicitur, Eſito & Vnctito quæ ſunt eorum*

Soluti nodi in Agellio.

* Lib. VI. cap. XV.

Quieſco E correptâ: quomodo.

Actito, A longâ.

* Libro IX. cap. VI.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

rum Frequentatiua, primâ litterâ longâ promi. & contrà, Dictito, ab eo quod est Dico, correptè. Hæc enim nulla vi mentis peruades, si pedem firmas in Accentu. At non ita est. Hoc agit & ait: *Edo*, E breui dici; *Vngo*, V breui: contrà tamen *Esito* eâdem latâ & longâ, itemque *Vnctito*. Dicebant igitur, *Edo* * *Vngo* (profer quasi Y Græcorum, vt suprà doctum) & *Eêsito*, *Vûnctito* siue *Ounctito*. Contrà autem in *Dico* & *Dictito*. Nam illud vulgò erat *Dêico*, I longâ: istud *Dictito* eâ breui. Huc etiam illa * Agelliana refero: qui *Obiiciebat* quosdam O litterâ productâ dicere miratur; item *Subiices*, *Coniicere*, *Iniice*, primis litteris longis. Quid? an non longæ eæ sint? clarum quidem. sed de sono agitur, non de Tono. vultque ipse non *Oobiices*, *Soubiices*, *Einiice*, *Cooniice* latè efferri, sed *Obiices*, *Subiices*, *Iniices*, tenuiter. Hæc tibi mira? magis ista quæ tunc certè non vidisti. Ecce in Festo scriptum: *Muscerdas primâ syllabâ productâ, stercus murum appellari*. Potéstne in Accentu coripi? Idem: *Lustra significant lacunas lutosas. at cùm eiusdem vocabuli prima syllaba producitur, significat nunc tempus quinquennale, nunc populi lustrationem.* Vides, etsi syllabam nominet, de litterâ tantùm agi: quam ex more produci vult in alterâ significatione, *Loustra*: in alterâ tenuari, *Lustra*. ideméque in *Mouscerda*. Simile illud eiusdem: *Parret, quod est in formulis, debuit & productâ priore syllabâ pronunciari, & non gemino RR scribi*. Iam Victorinus Afer, ex tuâ quidem mente, quàm superuacuè moneat, imò stultè, *Hesternum*, productè dici debere? *Hesternum*, inquit, *productè dici debet. Nemo enim qui Latinè loqui sciat, qui aliter quàm productâ syllabâ Hesternum dixerit.* Di tibi benè faciant prouide senex. in Accentu quis aliter potuit? Sed de priore syllabâ siue litterâ potiùs tu quoque intellegis, & mones longam esse, nequis breuem ducat & dicat, quia ab *Herè*. Quæ res simillima illi in verbo *Quiesco*. Hæc seria, mi adolescens, nec nugarũ aliquis ludus. videsque vel ex Agellio quàm intentè de iis egerint, imò litigauerint, viri magni. Sed venio iam ad scopulum, in quo mens omnis & ratio tibi fracta. Ciceronis locus est, qui miras facit tibi turbas: *Quid verò hoc elegantius, quod non fit naturâ sed quodam instituto? Inclytus dicimus, breui primâ litterâ, Insanus productâ: Inhumanus breui, Infelix*

Vngo, quomodo V breui?

* Obserua. Nam nos hodie malè & crassè.

* Libro IV. cap. XVII. *Obiicio, O breui.*

Festo luxaliquoties, in re pari.

Ex Victorino.

Ciceronis diu obscurè (nobis quidem) locum illustramus.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

felix longâ. Et ne multis; in quibus verbis eæ primæ ſunt litteræ quæ in Sapiente atque Felice, productè dicuntur: in ceteris omnibus, breuiter. itemque compoſuit, concrepuit, conſueuit, confecit. Conſule veritatem: reprehendet. refer ad aures: probabunt. Et verba hæc ſunt, inquis, an portenta? Mihi quidem verba, Lipſi, & proba, ſana; ſi examinata à ſanâ mente. *Inclytus* & *Inhumanus* ait primis breuibus dici. An ſillabis? imò expreſſim addidit, *litteris*. Ergo de I breui aut longâ hæc diſſertio eſt: ſicut de O eadem in *Compoſuit*, *Confecit*, & quæ reddit. Igitur illud *In*, ſemper breue: niſi cùm ab F aut S excipitur, ſi vera norma illa Ciceronis. Ita dixeris. *Incipit*, *Indoctus*, *Ingenuus*, breuiter & hodierno more. contrà, latè *Einfelix*, *Einſuauis*, *Einficetus*, & talia, ad priſcum ritum non ad noſtrum. Pariter *Compoſuit*, *Concrepuit*, *Coniecit*, exiliter effabere: pinguiùs, *Coonfecit*, *Coonſueuit*, *Coonfiteor*, *Coonſigno*. Hæc Tullij germana mens, quam adfirmat mihi ſatis* Agellius: *Sed neque* OB, inquit, *neque* SVB *præpoſitio producendi habent naturam: neque item* CON, *niſi cùm eam litteræ ſequuntur quæ in verbis* CONSTITVIT & CONFECIT *ſecundùm eam primæ ſunt: vel cùm eliditur ex eâ N littera, ſicut Salluſtius inquit Fœnoribus* coöpertus.* Idemque clariùs lib. II. vbi caput totum dat hiſce Tullianis illuſtrandis: additque mirari ſe cur *Pro* præpoſitio neglexerit hanc regulam, quæ non ſemper ante F producta. vt in *Proficiſci*, *Profanum*, *Profugere*, *Profeſtum*, *Profundum*. Ea enim *correptè dicimus*, inquit, *Proferre autem*, & *Profligare*, & *Proficere*, *productè*. Quæ ex monitis meis non vltrà obſcura. Sunt enim, *Proôferre*, *Proôfligare* &c. Hæc an nota aut notata adhuc vulgo, neſcio: ſcio vera, & momentum grande habere ad germanum litterarum effatum. Tu Lipſi quid? Quid, inquam, niſi ſtupeo, quia non ſtupeo? Antea in Cimmeriorum tenebris mihi videbar, nunc per te ſubitò in liquidâ & clarâ ætheris illius luce. Nec occurrit quod obiiciam, nec velim.

Inclytus, quâ primâ breui.

Et talia.

Con, præpoſitio, quomodo efferenda, longa ſeu breuis?

* Lib. IIII. cap. XVII.

* Dicebant igitur, *Côöopertus*. ſicut & *Côonexus*, *Côoligatus*, *Côogo*: quæ Agellius præterea notat lib. II. cap. XVII. *Item, pro.*

I CAPVT

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CAPVT XXIII.

Clausula operis. Votum, vt hæc locum vulgò reperiant: quod facile, si velint pueritiæ doctores. Res ipsa honesta, & vtilis inprimis ad originationes vocum.

GAVDEO, inquit, quòd in his mihi fides: & magis, quòd Sermonis mei finis. Metam enim iam attigi. nec habeo quod addam, præter monita aut veriùs vota. Vtinam mens iis qui instituunt iuuentutem, hæc docendi! non deesset ratio aut via inducendi. In Græcâ Pronunciatione id iam peruicimus: quídni Latina hæc & cottidiana pariter nitescat? Cuius vsus cùm latissimus sit, imò cùm necessarius ad commercia coniunctionemque tot gentium: de germanâ facie eius tam exiguam nobis curam esse, iure mirer. In Pronunciatione autem illa est, atque vt hominis formæ vestis cultusque non parum addit aut detrahit: sic Sermoni effatus. Communio quidem sermonum linguarumque, & deriuatio vocum, non aliâ re magis illucescet, quàm germano isto Enunciatu. ad quem legitimam viam tibi præiui, Lipsi: tu eam meliorem mollioremque calcando reddes. Dura enim pleraque initia videntur, confiteor: vsus est qui mollit & consuetudo. At tu salue. te enim prandium, me patronus iam vocat. Et sub hæc ipsa verba aderat puer, qui innuebat.

Pedagogi & doctores hæc docere debeant.

Ad dignitatem linguæ.

Ad etyma variarum vocum.

INDEX

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

In Italiam meus aduentus. Mureti ibi reperti laus. ad sermonem hunc præparatio: & quiddam de iuuenilibus meis scriptis.

CAP. II. Ad sermonem hunc ingressio. Prædictum de dignitate & de fructu cognitæ Verę Pronunciationis. Suetonius correctus.

CAP. III. Quæ caussa corruptæ pronunciationis? Ea altiùs petita, à propagatione sermonis: quæ per Romanum totum orbem. Afros, Gallos, Hispanos, Britannos Latinè vulgò sciuisse. Hanc caussam corrupti soni germani: Item Barbarorum incursum. Italica lingua quando cœperit? Penula Grammatica vestis. Capellæ, Augustino, Tacito lux.

CAP. IIII. Pronunciatio generatim definita: diuisa: quis dicendorum hîc ordo.

CAP. V. Vocales omnes Latinis Pluri-sonæ. Eædem modulo & quantitate ancipites: ideoque olim Pronunciatu & scriptu distinctæ. Geminatio earum qualis? Apex, qualis?

CAP. VI. Vocales primos affectus naturæ exprimere: & plurimùm, mæstos. Artemidorus illustratus. A, litteræ geminus sonus, Crassus & Exilis. In Crasso, duplex ea scripta: sæpe cum flatu interposito.

CAP. VII. Quadruplicem videri sonum in E litterâ fuisse. & ij ordine expositi. Hanc ipsam pro I sæpe scriptam. Iulij Cæsaris Scaligeri laudatio.

CAP. VIII. Litteræ I triplex sonus. Quæ in Plauto sit longa littera? EI diphthongus passim pro I longâ: deque eâ scripturâ priscorum variantes sententiæ.

CAP. IX. O duplex esse, quod ad tempus & ad sonum. Ausonij versus aliter lectus. Tranquillus illustratus.

CAP. X. De litterâ V. quadruplicem eius sonum esse: sed Primarium & eximium, duplicem. Plauto, Ausonio lux immissa. Quæ Feralis littera, & quare? Maurus & Charisius correcti.

CAP. XI. Ad Diphthongos ventum: Latinum iis nomen fidenter positum. Quot eæ, & in quibus enunciandis peccemus? AE quomodo efferenda? quomodo OE? Dio Cassius emendatus. De EI obiter dictum: & quis ei sonus?

CAP. XII. Ad Consonantes ventum. de vicinis inter se, quoque Capite dictum. isto, de B. V. P. F. Quid in Be efferendâ, & à quibus gentibus peccetur? an defendi possint? Dubitatum de sono V Digammæ, & pluscula ad eas argutias. De F germano sono. A Scaligero abimus & Fabio. Ausonio lucem damus, & medicinam Charisio.

CAP. XIII. De C. K. Q. G. vicinis litteris. Refutati qui primæ sonum duplicem adfingunt. In K litterâ Ausonius illustratus. idem iterum in Q. & correctus. In C. Festus emendatus. Singulæ hæ litteræ, quando natæ. quid conueniant, quid discrepent? & plura Grammatici pulueris.

CAP. XIV. De litteris D, & T. Huius vitiosum hodie in parte sonum esse: nec iuuari à falso Papyrio. An T, Viuum significauerit? Isidorum fortean correxerim. Lapidibus data lux.

CAP. XV. De sex litteris facillimæ pronunciationis iunctim dictum. N à Græcis aut Latinis sæpe omitti: sed malè.

CAP. XVI. De litterâ S, quæ multis veterum inuisa, & culpata. A nobis ea releuatur. Romani quàm crebrò vsurparint, & pænè ante omnes litteras? X crucem referre. quædam de variâ crucium figurâ. Artemidorus, & Maximus & Isidorus episcopi illustrati. De litterâ Z, & ordine omnium soni.

CAP. XVII. Ad Accentus transitum. eorum in Pronunciatione vtilitas, siue Necessitas. Definiuntur, diuiduntur.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

CAP. XVIII. De Tenoribus propriè. quibus aliis nominibus dicti? quid sint? quotuplices sint? Definiti omnes, & notulis suis insigniti. De Sigmæ formâ per occasionem dissertum vberiùs.

CAP. XIX. Accentus olim nec Latinis nec Græcis scriptitatos esse. lapides, qui adserere videbantur, reiecti aut aliorsum tracti.

CAP. XX. De Legibus Tenorum, quas Grammatici tulerunt. Eas promptas facilesque esse. à Fabio benè & strictè comprehensas. Plura in Notis, quæ ad rei totius lucem.

CAP. XXI. Moris in Tenoribus prisci indagatio haud obuia. Legibus & Acumine suo pressorunt Grammatici. Quædam tamen ex iisipsis eruta contra leges. Non videri Tenores semper accommodatos ad sillabæ modum.

CAP. XXII. Laquei & velut ænigmata hac in re soluta. Agellij multis locis immissa lux. item Festi, Victorini, ante omnes Ciceronis. ostensum de litteris eos loqui, non de sillabis. Tu lege, vide, disce aut doce.

CAP. XXIII. Clausula operis. Votum, vt hæc locum vulgò reperiant: quod facilè, si velint puritiæ doctores. Res ipsa honesta, & vtilis inprimis ad originationes vocum.

FINIS INDICIS.

APPROBATIO.

DIALOGVS iste de Recta Pronunciatione linguæ Latinæ à I. Lipsio clarissimo Academiæ Louaniensis Professore conscriptus, præter voluptatem, hanc quoque vtilitatem adfert, quòd non priscis modò libris, verumetiam lapidibus, & lucem immittat & correctionem adhibeat.

Guilielmus Fabricius Nouiom. Apostolicus ac Regius librorum Censor.

RATIO

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

RATIO PRONVNCIANDI LITTERAS EX MARCIANO CAPELLA.

MARCIANVS *Capella formationem litterarum ad hunc modum exsecutus est:*

A, *sub hiatu oris congruo solo spiritu memoramus:*
B, *labris per spiritus impetum reclusis edicimus:*
C, *molaribus super linguæ extrema appulsis exprimitur:*
D, *appulsu linguæ circa superiores dentes innascitur:*
E, *spiritus facit lingua paullo pressiore:*
F, *dentes labrum inferiùs deprimentes lingua palatoque dulcescit:*
G, *spiritus cum palato:*
H, *contractis paullum faucibus ventus exhalat:*
I, *spiritus propè dentibus pressis:*
K, *faucibus palatoque formatur:*
L, *lingua palatoque dulcescit:*
M, *labris imprimitur:*
N, *lingua dentibus appulsa collidit:*
O, *rotundi oris spiritu comparatur:*
P, *labris spiritus erumpit:*
Q, *appulsu palati ore restricto:*
R, *spiritum lingua crispante corraditur:*
S, *sibilum facit dentibus verberatis:*
T, *appulsu linguæ dentibus impulsis excuditur:*
V, *ore constricto labrisque promulis exhibetur:*
X, *quidquid* C *&* S *formauit, exsibilat:*
Y, *appressis labris spirituque procedit:*
Z, *verò idcirco Appius Claudius detestatur, quòd dentes mortui, dum exprimitur, imitatur.*

EX TERENTIANO MAVRO.

Nunc singula quam possideant in ore sedem,
Ictusque suos concipiant, & vnde rumpant,

Vocalium soni.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Vt quiuero verſu blaterabo Sotadæo.
A prima locum littera ſic ab ore ſumit,
Immunia rictu patulo tenere labra,
Linguamque neceſſe eſt ita pendulam reduci,
Vt niſus in illam valeat ſubire vocis,
Nec partibus vllis aliquos ferire dentes.
E quæ ſequitur vocula diſſona eſt priori,
Quia deprimit altum modico tenore rictum,
Et lingua remotos premit hinc & hinc molares.
I porrigit ictum geminos prope ad ipſos,
Minimumque renidet ſupero tenus labello.
O Graiugenûm longior altera eſt figura,
Alter ſonus, atque temporum nota variata,
Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus vt non niſi quinque fungeremur;
Productio longis vt daret tempora bina,
Correptio plus tempore non valeret vno.
Hinc ῆτα minùs ſcribimus, binc & ω ſupremum;
Vna quoniam ſat habitum eſt notare forma,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret vſum.
Igitur ſonitum reddere cùm voles minori,
Retrorſus adactam modicè teneto linguam:
Rictu neque magno ſat erit patere labra.
At longior alto tragicum ſub oris antro
Molita, rotundis acuit ſonum labellis.
Y quam memorant, vocibus auia eſt Latinis;
Vocalibus autem quoniam iugata Græcis,
In noſtra etiam verba dabat frequenter vſum.
Subiecimus illam, cui nomen V dederunt,
Vocalem, ſonantes ſibi quæ iugaret omnes,
Et ſola ſonum redderet ex ſua figura,
Quem ſcribere Graius, niſi iungat OY, nequibit:
Hanc edere vocem quoties paramus ore,
Nitamur vt O dicere; ſic citetur ortus:
Productiùs autem coëuntibus labellis,
Natura ſoni preſſior altiùs meabit.

Iam

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Consonantium soni.

Iam cetera, non ordine quo solent, loquemur:
Verùm vt cuique est proximitas loci, sonive.
Ne dicta priùs me subigat referre rursum
Vicinia vocum, modico dirempta puncto.
B, littera, vel P, quasi syllabæ videntur,
Iunguntque sonos de gemina sede profectos:
Nam muta iubet portio comprimi labella:
Vocalis at intus locus exitum ministrat.
Compressio porrò est in vtr aue dissonora:
Nam prima per oras etiam labella figit,
Velut intus agatur sonus: ast altera contrà
Pellit sonitum de mediis foras labellis.
Vtrumque latus dentibus adplicare linguam
C pressius vrget, sed & hinc hinc que remittit,
Quo vocis adhærens sonus explicetur ore.
G porrò retrorsum coït, & sonum prioris
Obtusus ipsi propè sufficit palato.
At portio dentes quoties suprema linguæ
Pulsauerit imos, modice que curua summos;
Tunc D sonitum perficit, explicatque vocem.
T, qua superis dentibus intima est origo,
Summa satis est ad sonitum ferire lingua.
K perspicuum est littera quòd vacare possit;
Et Q. similis: namque eadem vis in vtraque est.
Quia qui locus est primitus vnde exoritur C,
Quascumque deinceps libeat iugare voces,
Mutare necesse est sonitum quidem supremum:
Refert nihil, K prior, an Q. siet, an C,
Aut G, quoque, vel C, simili parique lege
Addi, quasi desit, numero potest priorum.
Nulli dubium est, faucibus emicet quòd ipsis
H littera, siue est nota, quæ spiret anhelum.
Quin hanc etiam Grammatici volunt vacare,
Quia non adicit litterulis nouum sonorem:
Sed Græcula quædam scholicæ nitela vocis
Vocalibus apta, sed antepostа cunctis:

Hastas,

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

Haſtas, hederas, cùm loquor, Hiſter, hoſpes, huius;
Solum patitur quattuor ante conſonantes:
Græcis quoties nominibus Latina forma eſt,
Si quando choros, Phyllidas, Rhamnes, thyma, dico.
Septem reliquas hinc tibi voce ſemiplenas,
Vix lege ſolutus poterit ponere ſermo:
Has verſibus aptè quoniam loqui negatur;
Inſtar tituli fulgidula notabo milto.

F.

Imum ſuperis dentibus adprimens labellum
Spiramine leni, velut hirta Graia vites,
Hanc ore ſonabis modò quæ locata prima eſt.

L.

Aduerſa palati ſupera premendo parte,
Obſtansque ſono, quem ciet ipſa lingua nitens,
Validum penitus neſcio quid cogit inire,
Quo littera ad aures veniat ſecunda noſtras,
Ex ordine fulgens cui dat locum ſinopis.

M.

At tertia clauſo quaſi mugit intus ore.

N.

Quartæ ſonitus fingitur vſque ſub palato,
Quo ſpiritus anceps coëat naris & oris.

R.

Vibrat tremulis ictibus aridum ſonorem,
Has quæ ſequitur littera.

S. X.

——— Mox duæ ſupremæ
Vicina quidem ſibila dentibus repreſſis
Miſcere videntur; tamen ictus, vt priori

S prom-

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

S promptus in ore est; agitur pone dentes
Sic læuis, & vnum ciet auribus susurrum.
Mixtura secundæ geminum parat sonorem:
Quia C. simul & quæ prior est iugando nisum,
Retrorsus adactam solidant premuntque vocem.

EX VICTORINO AFRO.

A, *littera rictu patulo, suspensâ, neque impreßâ dentibus linguâ enunciatur.*

E, *represso modicè rictu oris, reductisque introrsum labiis effertur.*

I, *semicluso ore, impreßisque sensim linguâ dentibus, vocem dabit.*

O, *vt* E, *geminum vocis sonum pro conditione temporis promit. qui correptum enunciat, nec magno hiatu labra reserabit, & retrorsum actam linguam tenebit: longum autem productis labiis, rictu tereti, lingua arctioris pendula, sonum tragicum dabit. Cuius obseruationis & in* E *littera similis pænè ratio est.*

V, *litteram quoties enunciamus, productis & coëuntibus labris efferemus.*

B, & P, *litteræ dispari inter se oris officio exprimuntur. nam prima, explosa è mediis labiis sono: sequens compresso ore, velut introrsum attracto vocis ictu, explicantur.*

C, *etiam &* G, *sono proximæ, oris molimine nisuque dissentiunt. nam* C, *reductâ introrsum linguâ, hinc atque hinc inter molares surgens, hærentem intra os sonum vocis excludit:* G, *vim prioris, pari linguæ lapsu palato suggerens, leniùs reddit.*

D, & T, *linguæ sublatione ac positione distinguuntur. nam cùm summos atque imos coniunctim dentes suprema sui parte pulsauerit,* D, *litteram exprimit. quoties autem sublimata partem, qua supernis dentibus est origo, contingent,* T, *sonore vocis explicabit.*

K, & Q, *vtramque exprimi faucibus, alteram distento, alteram producto rictu manifestum est.*

F, *litteram imum labium supremis imprimentes dentibus, reflexâ ad palati fastigium linguâ leni spiramine proferemus.*

L, *validum nescio quid per partem palati, qua primordium dentibus superis est, linguâ trudente, diducto ore personabit.*

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

At M, *impreſſis inuicem labiis, mugitum quendam, intra oris ſpecum attractis naribus, dabit.*

N, *verò, ſub conuexo palati linguâ inhærente, gemino naris & oris ſpiritu explicabitur.*

Sequetur R, *quæ vibratione vocis in palato, linguæ faſtigio fragorem tremulis ictibus reddit.*

Duæ ſupremæ S, *&* X, *iure iungentur, nam vicino inter ſe ſono, attracto ſibilant rictu: ita tamen, ſi prioris ictus ponè dentes excitati ad medium lenis agitetur: ſequentis autem, craſſo ſpiritu hiſpidum ſonet, qui per coniunctionem* C, *&* S, *quarum & locum implet, & vim exprimit, vt ſenſu aurium ducamur, efficitur.*

Z, *apud nos vltima, in quâ non ſonus litteræ ſed vocabulum, & duplex ſyllaba eſt.*

PRIVI-

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS SECVNDVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Noſtro & Sacri Imperij fideli dilecto IVSTO LIPSIO gratiam noſtram Cæſaream. Poſtquam inter alia, quę DEVS immortalis hominibus liberali manu dedit dona, illuſtria inprimis illa & quaſi diuina ſunt, quæ in literis liberalibusque diſciplinis conſiſtunt, quibus ſcilicet homines non tantùm ab animalibus ceteris rationis expertibus, ſed à rudi etiam & imperito hominum vulgo ita diſtinguuntur, vt tanquam Dij quidam ſplendeſcere in terris videantur: rem ſanè præclaram ſeque dignam illi præſtant, qui diligentem iis ipſis in literis ac diſciplinis operam ponunt; præclariſſimam verò & Reipub. vtiliſſimam, qui eas ita excolunt, vt aliorum menti docendo, ſcribendo lumina præferant, eosque ex ignorantiæ tenebris quaſi manu educant. Quos excitare, quos amare atque animare ad dignitatis noſtræ munus, ad quod Diuino vocati beneficio, conceſſuque ſumus, inprimis pertinere exiſtimamus. Cùm itaque ab iis, quorum nobis ſpectata fides, quique iudicare de Literis poſſint, acceperimus, inſignes te animi ingeniique tui dotes tibi à natura inſitas à primis temporibus ætatis tuę ita literarum ac diſciplinarum ſtudiis excoluiſſe atque exornaſſe, vt olim iuuenilibus adhuc annis præclara floreſcentis minimeque vulgaris eruditionis ſpecimina præbueris, dum obſcura in antiquis ſcriptoribus loca, quæ quædam tanquam luſtra erant, illuſtraſti, quæque in iis iniuria temporum deprauata & corrupta fuerunt, reſtituiſti, dum vetuſta Latinæ antiquitatis rudera in nouam ſubinde ſtructuram ſingulari artificio eleganter conuertiſti: ad exquiſitam adeò & raram doctrinam, quæ magnam de te apud doctos quoſque viros opinionem excitarit, perueniſſe, eamque variis abs te libris acri & graui cum iudicio ſcriptis atque in lucem editis oſtendiſſe, vt in eo quod tam feliciter tractes ſcriptionis genere paucos tibi pares hodie reperire ſit: iam verò matura te ætate virum, viro magis magisque digna, & viris doctis grata ac Reipub. vtilia ſcribere, quæq. à primis illis Romanis olim auctoribus ſcripta fuerunt, à mendis purgare, & lectiſſimos quoſque ex Muſarum hortis, in quibus aſſiduè verſeris, flores colligere, concinnare, quibus Lectores mirificè recrees, & eorum pectus ad prudentiam, probitatemque informes: haudquaquam prætermittere voluimus, quin Reipub. ad quam hæc abs te ornamenta conferuntur, cauſa, Cæſareo te noſtro elogio decorandum, & quamuis per te ſatis ipſe animatus ſis, animádum magis patrocinioq. noſtro defendendum pro benigna noſtra in te ſuſciperemus voluntate. Quoniam verò lucubrationibus atque operibus tuis in lucem edendis, peculiarem te eligere velle Typographum, accepimus, Diplomate hoc noſtro priuilegioque te & Typographum tuum aduerſus quorumcunque fraudem, qui lucri cauſa, quod fieri ſolet, eadem excudere aut typis imitari fortè velint, munitos cupimus. Quamobrem pro auctoritate noſtra Cæſarea decernimus, ſtatuimus, vetamusque, ne quis Typographorum, Bibliopolarum,

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

aut aliorum, qui librariam negotiationem exercent, eos libros, quos tu editurus es, quocunque modo, charactere, aut forma, siue integros, siue aliquam eorum partem typis imitari, edere, excudere, aut venundare intra sacri Romani Imperij, Regnorumq. ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines triginta annis proximis à primo editionis die computandis, absque tuo tuorúmve hæredum consensu audeat: Hac autem lege addita, vti tria vt minimum cuiusque libri exemplaria, quemadmodum moris est, ad Imperialem nostram Cancellariam mittantur. Si quis verò edictum hoc nostrum transgredi, violare, aut contemnere deprehensus fuerit, eum non solùm eiusmodi libris, tibi, hæredibúsve tuis, auxilio Magistratus, vbicunq. reperti fuerint, vendicandis, priuari, sed triginta etiam Marcharum auri puri mulcta, cuius semissis quidem Fisci nostri Procuratori, fraudis vindici: alter verò semissis, tibi hæredibúsve tuis pendatur, puniri volumus. Mandantes vniuersis & singulis nostris & sacri Romani Imperij subditis & fidelibus dilectis, tam Ecclesiasticis quàm Politicis, cuiuscumque status, gradus aut ordinis extiterint, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel suo vel superiorum suorum loco aut nomine, ius dicunt, iustitiámve exercent, ne quemquam hoc Priuilegium nostrum impunè violare, spernere aut negligere patiantur: Sed, si quos contumaces compererint, constituta à nobis mulcta, eos puniri & quibuscunque modis coërceri curent, ni & ipsimet grauissimam nostram in se conuertere indignationem velint. Id quod hoc Diplomate, manu nostra subscripto, & Cæsarei nostri sigilli impressione munito, confirmamus. Datum in arce nostra Regia Pragæ, die prima mensis Augusti. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo Nonagesimo secundo. Regnorum nostrorum Romani decimo septimo, Hungarici vigesimo, & Bohemici itidem decimo septimo.

Subsign.

RVDOLPHVS.

Iacobus Curtius à Senfftenaw.

Ad mandatum sacræ Cæsareæ Mtis proprium.

Io. Baruitius.

Additum sigillum Cæs. Mtis in cerâ rubrâ.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, diplomate ſuo ſanxit, nequis, Iuſti Lipſij Hiſtoriarum in alma Vniuerſitate Louanienſi Profeſſoris, & item Hiſtoriographi ſui libros quoſcunque, à Cenſoribus legitimis approbatos, præter ipſius, heredúmve eius, voluntatem, intra triginta annos à prima ſingulorum librorum editione computandos imprimat, aut alibi terrarum impreſſos, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem triginta marcharum auri puri illatione mulctabitur. Vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ XIV. Feb. M.D.XCVII.

Signat.

Verreycken.

TIbi JOANNES MORETE, *pro amicitiâ quæ mihi cum Plantino (heu, quondam meo) & Plantinianis eſt ac fuit, tibi, inquam, permitto, vti* DE RECTA PRONVNCIATIONE LINGVÆ LATINÆ DIALOGVM, *quem poſtremò recenſui, typis tuis excudas ac diuulges. Nequis alibi alius præter te, cupio ſiue iubeo, ex lege quam magnus Cæſar & Rex meus dixerunt.*

Iuſtus Lipſius.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

APVD IOANNEM MORETVM.

M. D. XCIX.

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

UVA. BHSC. SC 03860 (2)

UVA. BHSC. SC 03860 (2)